

Jakob Staalkopf

**M. Iacobi Staalkopff. S. Theol. Baccalavrei. Aedis. Divi. Georgii. Apvd. Vismarienses. Pastoris. ... Ternarivs. Exercitationvm. Theologicarvm. \$aQvarvm. I. Commata. ... II. De. Peccatis. ... III. De. Nimia. ... : Accedit. Loco. Appendicis. Svccincta. Philosophi. Modesti. Delineatio**

Hamburgi: Apvd. Io. Wolfgangvm. Fickweiler, MDCCXV

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850547955>

Druck Freier  Zugang





Pr. 132 p

Ex Testamento Scheffeliano.

F. g = 3811.

51<sup>c</sup> / 3

M. IACOBI STAALKOPFF.  
S. THEOL. BACCALAVREI. AEDIS. DIVI.  
GEORGII. APVD. VISMARIENSES. PA-  
STORIS. ET. CONSISTORII. REGII.  
ADSESSORIS.

TERNARIVS.

**EXERCITA-  
TIONVM.**

**THEOLOGICARVM.**

**QUARVM.**

I. COMMATA. VII. PRIORA. CAP.  
XVII. IOANNIS. EXPONIT.

II. DE. PECCATIS. OMISSIONIS. GE-  
NERATIM. PRAECIPIT.

III. DE. NIMIA. THEOLOGORVM.  
LENITATE. CEV. INSIGNI. PECCA-  
TORVM. OMISSIONIS. EXEM-  
PLO. DISSERTIT.

---

ACCEDIT.

LOCO.

APPENDICIS.

SVCCINCTA. PHILOSOPHI. MODESTI.  
DELINEATIO.

---

HAMBVRGI.

APVD.

IO. VVOLFGANGVM. FICKVVEILER  
A. M. DCCXY

M. IACOBI STAALKOPFF  
S. THEOL. BACCALAREI AEDIS DIVI  
GEORGII APVD. WISMARIENSIS. PA-  
STORIS. ET. CONSISTORII. REGII.  
ADRESSORIS.

TERMINARIVS.

PATRONIS.

PROMOTORIBVS.

AC.

COLLEGIS.

LEVIDENSE.

OPVSCVLVM.

HOCCE.


EA. QVA. DECET. SVBMISSIO-  
NE. OBSERVANTIA.

AC.

HVMANITATE.

D. D. D.

AVCTOR.



IO. VVOLFEGANGVM. FICKVVEILER  
A. M. DCCXV




enim IOANNES CLERICVS (a) illam rationem Theologiam tradendi reiiciat, & celeberrimus Ienensium Theologus MICHAEL FOERTSCHIVS (b) haut obscure eandem reprehendat: nihilo tamen fecius variis illa placuit Scriptoribus, ceu libri hac methodo elaborati, atque ubivis obuui satis superque restantur.

(a) In Arte Critica p. m. 265.

(b) P. I. Breviarii selectorum Theologicorum p. 7. seqq.

III.

Opus hoc eruditum excipiant merito suo Tomi duo Miscellaneorum sacrorum, mira quadam rerum varietate lectoribus sese commendantes suis. Neque id sine causa, quoniam in illis reconditae prorsus res singulari plane facundia exponuntur. Idem Aegyptiaca doctissimi Autoris nostri merentur iudicium, tribus absoluta libris, quibus MARS-HAMI & SPENCERI de Origine rituum penes Iudaeos legum sententia egregie confutatur, adeo ut agmen inter Adversarios horum Duum-Virorum ducere videatur. Nec est, quod existimes, his terminis inclusam fuisse VVITSII diligentiam. Absit! Patientiorem illa sibi elegit campum, in quem posset excurrere. Aegyptiacis quippe geminam addi-



addidit Appendicem, quarum quaelibet ita est conscripta, ut meas longe superet laudes. Altera inscribitur *Δεκάλογον* & de decem tribubus Isräelis post luculentas ADRIANI PAVLI & VVILHELMI VVILHELMII de eodem argumento scriptiones praecipit: altera vero legionem fulminatricem Christianorum sub Imperatore MARCO AVRELIO ANTONINO considerat,

#### IV.

Sol nunquam quiescit. Idem de VVIT-SIO salva praedicari potest veritate. Aliis quippe post alia eruditum sibi devinxit orbem ingenii quod a natura nactus erat politissimi monumentis. Spectant huc eiusdem Exercitationes in Symbolum Apostolicum ita concinnatae, ut cum IOANNIS PEARSONI Expositione & PETRI KINGII historia huius Symboli sufficientissimae in illud explicatio- nis vicem sustinere possit. Neque debita /n fraudandae sunt praedicatione Exercitationes in Orationem Dominicam, quas Exercitationibus in Symbolum Apostolicum comites dedit Auctor doctissimus. His adde Dissertationem Epistolica ad VLRICVM datam HVBERVVM & Meletemata Leidensia. Prior scriptio ad certamina Rationalistica magnis animorum motibus in Belgio agitata spectat,

❦ • ❦

posterior autem praelectiones de vita & rebus gestis PAVLLI Apostoli, Dodecadem Dissertationum & Commentarium in Epistolam Judae continet. Confer ceteroqui de viro hocce celeberrimo IOANNEM MARKIVM Oratione peculiari, qua illum profunere laudavit.


V.

IOANNES vero BRAVNIVS, Palatinus, Theologiam & Linguam Sanctam in Academia Groeningana docuit, ac in Antiquitatibus praecipue Ebraicis fuit versatissimus. (c) Cartesianam secutus est philosophandi rationem, ceu vel ex sola de Animae essentia in cogitatione posita opinione liquido & ad oculum patet. Defendit illam in Doctrina federum haut praeter rem idcirco confutatus a V. CL. NICOLAO GRVBBIO Differt. I. de Anima. Paulo enim impensius adseclae CARTESII idolum hocce de cogitatione ipsa Mente adorant ac venerantur, adeo ut GERARDVS de VRIES (d) polum Orbis Cartesiani

(c) Indice V. CL. CHRISTIANO REVTERO de Federibus & Testamentis p. 12. Braunius maiori adcuracione Ebraeorum antiquitates, quam capita Theologica pervestigat, multorum inde errorum a Io. Markio Collega olim ipsius in Academia Groeningensi accusatus.

(d) In Diatribe de Cogitatione ipsa Mente p. 1. & 2.





HARTSOECKERI (g) quamvis priorem  
paucis confutarit clarissimus Vir IOANNES  
RAIVS (h)

## VII.

In Theologia autem COCCEIVM sequitur BRAVNIVS, ceu vel ex sola quaestione de CHRISTO in V. T. non Expromissore; sed saltem fideiussore liquido & ad oculum patet. (i) Vtrum vero propter ea, quae in Commentario in Epistolam ad Hebraeos p. m. 692. seq. disputata Rationalismo k) immunis prorsus queat pronuciari, alii viderint, mihi sane, quia Cartesianam sequitur philosophandi rationem (l) suspectus aliqua ex parte videtur esse & in Paionismum inclinare

bis, tum ad ROBERTVM HOOCKIVM, tum ad CHRISTOPHORVM VVRENIVM, tum pariter ad REGIAM SOCIETATEM LONDINENSEM datis.

(g) Confer huius Continuationem Coniecturarum Physicarum & A. E. L. A. 1709. p. m. 87.

(h) In Commentatione von dem anfänglichen Mischmasch und Erschaffung der Welt p. m. 68.

(i) Vide Commentarium saepius laudatum p. m. 401. & in confirmationem sententiae orthodoxae lege SALOMONEM DEYLINGIVM P. I, Obs, Sacr. n. XLIX.

(k) Praecipuos Rationalistarum enumeravi in Dissertatione de cultu Dei rationali. Confer ceteroqui MELCHIOREM LEYDECKERVM in Praeparatione Evangelica L. I, C. V.

(l) Etsi enim CARTESIVS ipse liber sit ab hac laebe;

clinare (m). Quidquid tamen huius rei sit, eruditionem viri loquuntur scripta non unius generis cum erudito communicata orbe. Potiora eorundem celeberrimus in Academia Groeningensi ICTus, idemque BRAVNII Collega PAGENSTECHEVS scilicet, elegantissimi Commentario in Epistolam ad Hebraeos praemisso complexus est Carmine. Sequentia vero BRAVNII scripta mihi innotuerunt.

(1) Doctrina federum (n).


)( 5

(2)

nihilominus tamen fecius quidam ex eius Discipulis gravissime hoc in negotio sunt hallucinati, quemadmodum vel sola Exercitatoris paradoxo de Philosophia Scripturae interprete, HERMANNI ALEXANDRI ROELLI, aliorum, testantur exempla.

(m) Vide FRIDERICVM SPANHEMIVM, Filium in Elencho Controversiarum p. m. 316. seqq. V. E. LOESCHERVM Theologum laude mea maiorem in Exercitatione Theologica de CLAVDII PAIONII eiusque sectatorum Doctrina & fatis, B. ZACHARIAM GRAPIVM Dissert. de Conversione PAIONIO opposita, DANIELEM HARTNACCIVM in Continuatione Historiae Ecclesiasticae IOANNIS MICRAELII p. m. 2171. alios.

(n) Teste MICHAELE FOERTSCHIO P. I. Breviarii Selectorum Theologicorum p. m. 9. primum sese BRAVNIVS federalis eiusmodi Systematicae Tractationis Autorem esse professus est, ac nulla in eadem se uti velle voce constituit, quae non esset latina. Opere ipso adeoque demonstravit quae ALEXANDER BVRGOS Messanensis, Theologus Conventualium Minorum & Professor Eloquentiae in Archigymnasio Romano scitissime peculiari de Usu & ne-



- (2) Selecta Sacra (o)
- (3) Opus luculentum de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum (p)
- (4) Annotationes ad Codicem Thalmudicum Parah Adumah (q)
- (5) Historia Geldriae (r)
- (6) Versio libri de mactationibus & inquisitionibus penes Iudaeos usitatis (s)
- (7) Translatio duorum Codicum Mischnicorum Sevachim Umenachot (t)
- (8) Commentarius in Ep. ad Hebraeos.

### VIII.

Praecipue vero qui iam ad manus est laudari  
cessitate Eloquentiae in rebus sacris tractandis Dissertatione est commentatus.

(o) Quae alii Varia sacra & Selecta Theologica adpellant; eadem noster Selecta inscripsit Sacra. Varia autem Sacra debemus STEPHANO le MOYNE, IOANNI van der VVAEYEN, SIMEONI de MVIS, GOTHOFREDO COHLREIFF, selecta Theologica MICHAELI FOERTSCHIO, Dissertationes denique Selectas GISBERTO VOEIIIO, SAMVELI MARSIO, HERMANNO VVITSIO, CHRISTOPHORO VVOELFFLINO, IO. FRID. MAYERO, FOERTSCHIO, aliis.

(p) Liber hicce occasionem suppeditavit IOANNI NICOLAI calanum adversus BRAVNIVM in Notis ad CVNAEVM de Republica Ebraeorum stringendi. Confer Comment. in Ep. ad Hebraeos p. 508. seqq. & Addenda eidem subiuncta.

(q) Adi Comment. in Ep. ad Hebr. p. 539.

(r) l. c. p. 738. (s) l. c. p. 250. (t) l. c. p. 278.

dari meretur egregius plane in Epistolam ad  
 Hebraeos Commentarius Amstelodami A.  
 M. DCCV. in 4. editus. Inscriptus illum Om-  
 landiae Ordinibus eorumque Deputatis, ac  
 se pacis Ecclesiasticae Lutheranos inter & Re-  
 formatos stabiliendae adpetentissimum esse  
 ostendit. Praefatione instituti rationem expo-  
 suit, & alterum Volumen Selectorum pro-  
 misit Sacrorum. Excipiunt illam Prolego-  
 mena, quibus quinque potissimum expen-  
 duntur momenta. Primum de Canonica  
 huius Epistolae auctoritate praecipit, secun-  
 dum de Autore sollicitum est, tertium de  
 lingua qua fuerit conscripta agit, quartum  
 ad quas fuerit data docet, quintum denique  
 in scriptionis tempus inquirat. PAVLLVM  
 autem Epistolae Auctorem esse post ABRA-  
 MI CALOVII (u) FRIDERICI SPANHE-  
 MII

(u) In Bibliis illustratis merito suo a MATTHAEO  
 POLO commendatis. Confer SALOMONEM DEY-  
 LINGIVM P. II. Obs. Sacr. n. VII. p. 75.

(x) Peculiares huius hac de materia extant Dissertationes.  
 Patrem habuit eodem nomine celebrem, Theologum iudice  
 VVITSIO incomparabilem Melet. Leid. p. 280. insigne  
 Seculi sui Ornamentum teste IACOBO FRIDERICO CRAMERO  
 in Vindiciis Nominis Germanici adversus Obtrectatores Gallos  
 p. 25. qui inprimis Scriptum eius sub titulo *le Soldat Suedois*  
 l. c. p. 26. vehementer commendat, Vitam Filii SPANHEMII  
 Oratione funebri edisseruit IACOBVS TRIGLANDIVS  
 ex qua excerpta leguntur in A. B.

MII Filii (x) & HERMANNI VVITSII (y)  
laudabilem valde industriam erudite evicit.  
Ceterum in ipsomet Commentario singula  
Epistolae verba exposuit & Socinianos in pri-  
mis SOLICHTINGIVM solide confutavit.

14

L. A. 1704. p. 246. seq. Laudat illum impense H.  
VVITSIVS in Melet. Leid. p. 199. eidemque multa  
se debere fatetur. Adde pag. 30. & 34.  
(y) In Melet. Leid. p. m. 199. seqq.

AMI CALOVII (u) FRIDERICI SPANHE-  
MI

(u) In Epist. illustris merito tra a MATTHARO  
POLIO commendans. Confer SALOMONEM DEY-  
LINGIVM P. II. Op. Sac. n. VII. p. 77.

(x) Recensures huius hac de materia extant Dissertatio-  
nes. Primum habuit eodem nomine ecclesiam Theo-  
logiam iudice VVITSTIO incompensabilem Melet. Leid.  
p. 280. hanc seculi sui Oratoriam esse JACO-  
BO CRAMERO in Vindictis Notionis  
advectus Obsecratoris Gallos p. 27. qui  
inprimis sermone eius sub titulo de Sobrietate  
p. 26. vehementer commendat. Vnam filii  
SPANHEMI Oratione sancti edidit JACOBVS  
TRIGLANDIVS et duas excerptas sequuntur in A. E.

EXER-



# EXERCITATIO.

PRIMA.

IN.

CAPITIS. XVII. DIVI. IOANNIS.  
COMMATA. VII.

PRIORA.

---

IESU. SECUNDANTE.

I.

**Q**uodsi codicem sacrum Novi Testamen-  
ti evolamus, ac Evangelistarum in-  
primis perlustremus scripta, saepissi-  
me dulcissimum Servatorem nostrum, preces  
fun-

A

fun-

fundentem, voluptate singulari mentem  
 piam decente intuebimur. Matthaeus, ad-  
 siduos sacrarum scrutatores litterarum in  
 montem secum abducit & illis precantem o-  
 stendit IESVM. C. XIV. comm. 23. Abeun-  
 tes hinc ad montem oliveti comitatur, ubi  
 Salvator haut exiguo pressus moerore excla-  
 mavit: Mi Pater, si possibile, transeat hic ca-  
 lix, sed non ceu ego volo, verum quemad-  
 modum tu vis, C. XXVI. c. 39. Ibi Scriptor  
 facer velatum CHRISTI ostendit vultum, ibi  
 disertas monstrat manus, ibi conspiciendum  
 praebet sanctissimum os, flebilibus unice re-  
 pletum vocibus, ibidemque magno clamore  
 pro miserorum salute mortalium, penes Mo-  
 deratorem Universi supplicantem exhibet  
 sudorem sanguineum.

## II.

Lucas vir Θεόπνευστος pariter in deserto  
 orantem nobis sistit Salvatorem Cap. V. c. 16  
 & C. IX. bis precantem describit Immanue-  
 lem, tum cominate decimo octavo, tum  
 etiam versiculo octavo & vigesimo. Ubi  
 praecipue posterior meretur notari narratio,  
 siquidem inter orandum facies ejus haut  
 leuam experiebatur mutationem, & vesti-  
 mentum pariter eximio plane coruscabat  
 splendore. Neque id praeter rationem cum  
 eo

eo tempore sanctissimus noster Redemptor a Patre quem venerabatur coelesti, ratione admodum solenni, fuerit glorificatus. Qua de splendidissima prorsus transfiguratione, solliciti fuerunt egregie Reverendissimus quondam Pomeranorum Theologus, illustris IO. FRIDERICVS MAYERVS, & celeberrimus HERMANNVS WITSIVS quorum ille in suis Dissertationibus selectis pulcherrima de Comitibus Thaboriticis exercitatione eruditum beavit orbem, hic vero Meletematibus, quae scripsit Leidensibus elegantissimam de Glorificatione IESV in monte inseruit Disputationem.

### III.

Neque Evangelista & Apostolus Ioannes in praesenti debet taceri, quoniam & ille Praeceptorem, quem impense & amavit & coluit & veneratus est, in arduo orationis negotio versantem, diligenti recensione sua, ceu exemplar cunctis imitandum commendavit. Totum quippe Caput XVII. praeter egregiam CHRISTI ad Patrem in coelis directam Orationem, nil aliud continet. Sol omnem prorsus respuit quietem & indefessa potius orbem suum obit vertigine. Salvator noster Sol iustitiae Mal. IV. 2. quemadmodum in ceteris officii quo functus est partibus nunquam

fuit segnis: ita nec in fundendis precibus, debitam desiderari unquam est passus diligentiam. Habent, quo respiciant Christiani, Finis coronat opus, neque sufficit bene coepisse; sed imprimis requiritur, ut rebus nostris legitima pariter atque decora ratione imponamus finem. Cursor ni metam attingat, brabeo non ornatur, neque ante certamen victoriam quis indipiscitur. Fideles igitur sint ad seclae CHRISTI usque ad mortem, atque sic corona vitae ornabuntur Apoc. II. 10. cum iis tantum sit destinata, qui bonum certare certamen atque cursum consummare non neglexerunt 2. Tim. IV. 7. 8.

#### IV.

Laudem hinc haut vulgarem meretur, cum & in hoste virtutem esse praedicandam censeat iustitia, PETRVS BERVLLVS eminentissimus quondam Romanae Cardinalis Ecclesiae, eo quod Anno post salutarem Servatoris nativitatem M DCXVII peculiare Collegium Clericorum instituit, ac nomine Congregationis Oratorii insignivit, quoniam Socii eiusdem in id unice deberent eniti, ut preces a CHRISTO quoad in terris versaretur fusas, probe considerarent, sibi que adeo eundem & orantem & in laudabili valde instituto hocce perseverantem, exempli loco statuerent.

...  
So-

Societas haec ex quo primum instituta est, perpetuum quoddam inexhaustae foecunditatis seminarium fuit, hominum doctrina praestantium, & ex eadem veluti equo ceu audit Troiano, unus post alterum Pontificiae Religionis promachus est egressus. Superest illa adhuc hodie, & multitudine virorum variae eruditionis laude conspicuorum, superbit. Illufrant quippe istam & magnum in modum ornant, FRANCISCI MALEBRANCHII, RICARDI SIMONES, BERNARDI LAMII, IACOBI le LONGII, alii. Eo igitur ardentius, hac in parte nostrum debet esse studium, quo purioribus opera Divini VIRI MARTINI LUTHERI, per benignissimi Numinis gratiam gaudemus sacris. Quantum itaque imbecillitas mea patitur, in exponenda Oratione dulcissimi Sospitatoris nostri a Ioanne Cap. XVII. descripta nonnullis sum versaturus Exercitationibus.

V.

Salvator dulcissimus in proxime praecedentibus, suis quos nactus erat discipulis, calamitates varii generis praedixerat, & multas ipsis adnunciaverat vexationes inquitens: *ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἔχετε*, eo consilio ut animi eorum obfirmarentur eo melius & perfectiorem sensim patientiae induerent habitum. Tela quippe praevisa, minus nocent, & periculum



ecclesiasticae & praecipue, qui de Martyrum cruciatibus commentati sunt, luculenter demonstrarunt.

VI.

Pessima enim quaeque in primitiva ceu audit ecclesia Christianis a Gentilibus vitio dabantur, uti CHRISTIANVS KORTHOLTVS peculiari de Pagano Obrectatore libro, VILELMVS CAVEVS de Christianismo veteri P. I. C. I. II. III. IV. & ADAMVS QVASIVS, singulari de caussis calumniarum, quas pagani in Christianos coniecerunt Dissertatione, nec non IO. BRAVNIVS in luculento plane in Epistolam ad Hebraeos commentario p. m. 675. probarunt. Hinc Patres variis ejusmodi calumnias a se amoliri, editis studebant Apologiis. Confer de iisdem peculiarem ADAMI RECHENBERGHII Disputationem. Omniscientiam itaque Salvatoris satis indicat praedictio calamitatum, quam tamen suaviter temperat addito statim solatio: *ἀλλὰ θαρσεῖτε ἐγὼ νείκηκα τὸν κόσμον.* Solennis admodum est LXX. Interpretibus vox *θαρσεῖα* & scriptoribus N. T. pariter eadem passim est obuia. Magna autem illa gaudet emphasi, ab EDVARDO LEIGHIO, PETRO KEVCHEONIO, aliis commonstrata. Salvator noster bis eadem usus est C. IX. Matthaei



thaei & commate secundo Paralyticum his ad loquens verbis: θάρσει τέκνον, ἀφέωνται σοι αἱ ἀμαρτίαι σου & vicissim versu 22. mulierem tactu eius subito sanatam, postquam per duodecim annos nimio sanguinis laboraverat fluxu, ita adfatur: Θάρσει θυγάτηρ ἡ πίσις σου σέσωκέν σε. Equipollet ipsi verbum θάρσει, quod Paullus adhibet Hebr. XIII. c. 6. Qua propter Immanuel suavissimus, omnem plane moerorem in animis Discipulorum extinguere, anxietatem eorum magna cum humanitate lenire & lacrymas molliter abstergere laborabat, amœnissima hacce προσφώνησι: ἀλλὰ θα εἶτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. Haec est illa Numini placens methodus. Exaltationem praecedit humiliatio, & tristitiam excipit gaudium. Fessis ac laborantibus, refrigerium maxime est ad palatum, & ante solatium anxietas praecedat necesse est. Servator medici ad instar peritissimi, pungentia aegris propinat ante remedia, quam iisdem desideratissimam impertiatur sanitatem, & vulnera prius acri purgat vino, quam suavi eadem ac miti leniat oleo.

## VII.

Exhilaratis ita discipulorum mentibus, levavit coelum versus oculos, uti Ioannes auctor est. Insigne profecto confidentiae, qua polle-

sollebat specimen, Redemptor hic exhibuit, dum coelum ingenuo adspiciens vultu, precibus Patrem benignissimum venerari non dubitavit. Esdras supplicaturus pro gente Israelitarum, penes potentissimum, quod omnia nutu suo moderatur Numen, dicebat: MI DEVS pudore pariter ac metu reverentiali prohibeor, quominus lumina ad te o DEVS adtollam mea, transgressio enim, nostra excedit capita, quinimmo ipsum tangit coelum Efr. IX. c. 6. Publicanus quoque, cujus Lucas c. XVIII. facit mentionem, oculos ante actorum conscientia motus ad coelum tollere haut audebat. Ast alia prorsus ratione, CHRISTVS hic procedebat. Nullis onustus erat peccatis, quae patraffet ipse, nulla itaque hic capitis ad terram contingebat inclinatio. Quemadmodum mater ejus, castissima virgo, non cognoverat virum Luc. I. 34. ita & purissimus virginis filius, non noverat peccatum 2 Cor. V. 21. Erat ὁσιος ἄκακος, ἀμίαντος, κενωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν Hebr. VII. 26. \* Et quamvis ceu Vas, Sponsor Expromissor atque Mediator totius generis humani, per veram & realem imputationem, peccator, omnium quos sol unquam vidit maximus esset, dum Deus cunctorum iniquitates

A 5 homi-

\* Elegantissime IO. BRAUNIUS in verba haecce commentatus est in Selectis Sacris L. III. & in Commentario in Epistolam ad Hebraeos p. m. 410. seqq.

hominum. coniecit in illum. Ef. LIII. 7. & ille tanquam agnus DEI portans peccata mundi IO. I. 29. a DEO peccatum erat factus 2. Cor. V. 21; nihilo tamen secius, cum iam in eo esset, ut non per sanguinem hircorum & vitulorum sed per proprium semel in sanctum Sanctorum introiret, & aeternam inveniret redemptionem Hebr. IX. 12. magna cum confidentia ad coelum lumina poterat levare sua. Signum alioqui liberalis est animi, si quis alteri erectam atque intrepidam faciem exhibeat spectandam. Quidni igitur CHRISTVS ad coelum plane imperterritus vultum levare potuisset, cum ipsa fuerit innocentia & expressissimum integritatis instar.

## VIII.

Christiani pulcerrima, absolutissimi Servatoris meriti tunica tecti atque velati, coelum pariter aspiciere queunt. Datum ipsis est, cum fiducia accedere, ad thronum gratiae Hebr. V. 3. IESVM CHRISTVM Rom. III 25 Moysis faciem, cum per aliquod temporis spatium cum DEO esset versatus, Israelitae adspicere non poterant, usque adeo splendebat illa. Caesaris Augusti lumina, tanto gaudebant splendore, quantum oculi spectatorum, ferre non valebant. CHRISTI vero oculi nil nisi clementiam peccatoribus, vera fide

fide meritum ejus adprehendentibus promittunt. Hos ad Patrem sublimes tulit, ut ab eodem gratia ornati, in nostram misericordissime respicerent miseriam. Neque vero solum lumina coelum versus, levavit, verum etiam dixit: *πάτερ ἐλήλυθεν ἡ ἄρα κ.λ.τ.* Iam itaque sequitur precatio, qua Patri in coelis supplicavit. Duabus illa potissimum absolvitur partibus, quarum altera, Servator sui causa, altera vero in gratia n discipulorum & piorum in universum oravit omnium.

IX.

Prior pars, quinque primis continetur commatibus. Persona orans est Christus *θεάνθρωπος*. Mira autem valde est res, ipsummet DEVM rogare, & magna cum contentione precari. Quando quis pro seipso orat, inopia alicujus rei laborare censetur, cui idcirco precibus re medium quaerere ainitur. Supremum vero Numen, summum est bonum, quod unice mentem hominis, aeterna respicientem, potest satiare. Omnibus gaudet perfectionibus, beatissimus 1. Tim. VI. 15 pariter atque omnisufficientissimus (a) est, quem

(a) Omnisufficientiam immortalis Numinis bene expressit GERARDUS de VRIE, peculiari inter Exercitationes Rationales Exercitatione, quae numero est XIII.

quem nullius rei penuria adfligit, aut ulla eius cura coquit. Servator noster verus est DEUS I. Io. V. 20. Cur ergo aliquid desiderat? Discipuli ejus, conspecto, quem subito sanarat Magister Paralytico, stupentes factum illud insigne, exclamant: *είδομεν παράδοξα σήμερον* Luc. V. 26. Idem & nos facere possumus, dum omnia habentem, quaedam nihilo fecius desiderare legimus. Paradoxa enim valde adfertio hæc est, quamvis sit verissima, ceu infra patebit. Debitum hic nobis nostrum in memoriam revocatur, ut cum ipsummet DEI filium precantem videmus, eo acrius ad fundendas exstimulemur preces, quo longius infra conditionem Servatoris positi sumus. Fons equidem saluberrimi liquoris copia abundans, non renuit dare egentibus, quaerendus tamen est. Liberos decet a parentibus desiderare beneficia. Iustissimus etiam iudex, ante imploratum, quo fungitur officium, adflicto non succurrit, & dives, quamvis ab avaritia longissime sit remotus, eleemosynas tamen rogatus largiri cupit. Quidni igitur. Numen benignissimum, preces posceret nostras. Novit quidem illud cogitationes quas miseri sovent mortales e longinquo Ps. CXXXIX. 2. scrutatur corda & renes Jerem. XVII. 10. Ps. VII. 10. immo non est creatura invisibilis in conspectu eius, omnia potius nuda & resupinata sunt oculis ipsius

ipſius Hebr. IV. 13. (b) nihilotamen minus vult, miſeriam qua preſimur manifeſtari, ut adgnoſcamus a DEO effectore ac molitore coeli & terrae auxilium proficiſci noſtrum Pf. CXXI. 2. Hinc Divus Iacobus: κακοπαθει τις εν ιαμιν; προσευχεσθω Jac. V. 13.

(b) Egreſſie hunc locum explicuit BRAUNIUS in Com- mentario p. m. 275. ſeqq.

## X.

Cur vero Servator orabat? Ioannes reſpondet, factum id eſſe ideo, ut glorificationem a Patre obtineret, ſequentibus verbis. Pater venit hora, glorifica filium tuum, ut filius tuus te etiam glorificet. Patrem adloquitur, primam ſcilicet ſacroſanctæ Trinitatis perſonam, quia hoc loco Patris nomen ὑποſτατικῶς capitur. Patrem vocat propter aeternam generationem, de qua ipſe Pater Pfalmo II. comm. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te [a] Hunc enim de CHRISTO eſſe

(a) Prolixum fatiſ, in haec verba Pfaltis ſcripſit commentarium, celeberrimus quondam Roſtochienſium Theologus, ZACHARIAS GRAPPIUS, peculiari Diſſertatione, quam tum temporis adhuc Juvenis, ſub praefidio magni FECHTII defendit. Neque contemnenda ſunt, quae tum in explicationem, tum quoque in vindicias huius Oraculi, nervoſa brevitate ſcripſit ſaepeius laudatus a me BRAUNIUS! c. p. m. 71. ſeqq.

esse intelligendum IO. BRAVNIVS l. c. p. m. 96. seqq. eleganter ostendit. Ea quippe in eodem reperiuntur praedicata, quae si creato cuiquam Regi contendas competere, incasum prorsus sis laboraturus. Equidem nonnulli Rabbinorum, una cum GROTIUS & Schlichtingio, haut verentur, illum de Davidis persona proprie, de CHRISTO saltem secundario interpretari: Ast ruinoso pariter atque arenoso, haec explicatio innititur fundamento, paleae idcirco adsimilanda, quam vel debilissimus dispergere potis est ventus Ps. I. 4. Quilibet enim aliqua saltem ex parte sensibus exercitatis ad discretionem boni & mali instructus Hebr. V. 14 vanitatem ejus ostendere potest. Accedit, quod ipsi saniores Judaeorum BRAVNIO laudati, ad CHRISTVM hic unice respiciant, & totum prorsus negotium conficit a Spiritu sancto, per os Pauli Hebr. I. 5. ad Servatorem nostrum facta applicatio: Cui enim Angelo unquam dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

## XI.

Propria autem etsi non physica, verum potius hyperphysica haec fuit generatio, ceu adversus celebrem inter Reformatos Doctorem HERMANNVM ALEXANDRVM RÖELLIVM a viris ostensum est doctissimis.

FRI-

FRIDERICVS enim SPANHEMIUS, filius, eruditi Parentis docta progenies, non solum Adversarii sententiam laudabili cum dexteritate enarravit, verum etiam brevem quamvis, eruditam tamen Epicrisin suo quem scripsit Controversiarum elencho inseruit. Ita quippe sententiam ferentem suam audio. *Omnium πρῶτον Ἰεῦδος esse videtur: quod repugnet vera illa & propria generatio Filii ineffabilis licet, Ideis innatis, (a) a Deo ipso inditis menti humanae, quae sint principium omnis assensus, omnis verae ac certae cognitionis: Nec censendum, revelasse Deum quicquam in Verbo suo, quod non ab Homine ad Ideas istas exigi possit ac debeat (b); seu nihil proponere DEVM in Verbo suo ut credendum assensu certo & fiduciali, quod non clare & distincte ab homine sana ratione (c) uso, secundum ideas innatas, percipi*

(a) Ideas quas vocant innatas, utramque in Cartesiana facere paginam Philosophia, notius est quam ut fuisse in praesenti mereatur commemorari. Hinc ROELLIUS huiusmodi methodo philosophandi in nutritis easdem adversus CL. VRIESIUM sedulo defendere adlaboravit.

(b) Data hanc rem opera tuetur Roellius sua de Religionem Rationali Oratione inaugurali.

(c) Rationalistae ad sanam provocant rationem, turpiter interea nubem pro Junone amplexantes & loco sanae rationis, corruptae ignes fatuos maximo sui damno sequentes.

percipi possit. Et paucis quibusdam interjectis ita pergit: *Atque ex hoc fonte profluxisse non unam haeresin, in specie Pelagianismum omnem, ac Socinismum tandem, qui in Rationalismum hodiernum desinit, Theologis exploratum est.*

## XII.

Fusius vero RÖELLII periculosam admodum opinionem excusserunt, CAMPEGIVS VITRINGA, RENZIVS MEILSMA, DAVID HUGUENINVS, ac Summe-Reverendus GRAPIVS. Neque tacendus erit IOANNES BRAVNIVS, quoniam & ille in Epimetro, Commentario in Epistolam ad Hebraeos subiuncto sententiam doctissimi RÖELLII egregie haut dubitavit subvertere. Optimo igitur jure, primam sanctae Triados personam, Patrem adpellavit suum, dulcissimus Servator: Pater venit hora, glorifica filium tuum, ut filius tuus te etiam glorificet. Filius in statu infimae exinanitionis erat constitutus, idcirco exaltationem petebat a Patre. Varia in Christologia sunt spectanda. Modo enim nomina IESV expendi debent, modo duae naturae, divina & humana. Christus quippe est ex Patribus secundum carnem & simul DEUS benedictus in secula seculorum Rom. IX. 5. Vicissim ex duabus naturis, vincu-

vinculo unionis personalis, copulatam considerare debemus personam. Iterum conspiciendam se praebet, unionem indivulso excipiens nexu, communicatio ceu Theologis audit idiomatum. Rursus triplex Servatoris officium attendi meretur, una cum duobus istis diversi plane generis statibus, altero exinanitionis misero, altero autem exaltationis splendidissimo, in quibus suis partim functus est, partim adhuc fungitur muneribus. Prior consistebat in depositione formae DEI & adsumptione servilis formae, quemadmodum Paulus autor est. Phil. II. c. 6. seqq. Forma autem DEI non notat ipsam naturam divinam, uti nec forma Servi naturam indicat humanam, cum alias esset secuturum, Servatorem in humiliatione sua, merum fuisse hominem, & in exaltatione saltem DEVM, quod tamen inconveniens valde est, cum sit Sacerdos in aeternum Pl. CX. c. 4. Sacerdos vero est secundum utramque naturam. Rectius ergo forma DEI innuit plenarium & incessantem attributorum Deitatis usum, quo sponte sua, ad tempus se evacuavit, ut pro universo quaqua patet genere humano, vita passione & morte sua perfecte satisfaceret, & aeterni valoris inveniret redemptionem Hebr. IX. 12.

B

XIII.

## XIII.

Notanter dixi IMMANVELEM nostrum, abdicasse plenariam priorum divinae naturae usurpationem. Eo ipso enim indicavi, non penitus se illa evacualle, cum luculentas plane virtutis divinae stricturas in patris abs se miraculis ostenderit. Quapropter discrimen constituendum esse arbitror inter abdicationem plenarii usus, & depositionem omnis usurpationis: priori adsentior: posterius adspernor. Aliud quoque est, totum abdicare usum, aliud vicissim, eidem in totum, totaliter renunciare, quarum priorem phrasin adprobo: posteriorem vero loquendirationem reiicio. Eadem differentia inter germanicas hasce phrasas: *Sich des völligen Gebrauchs entäußern & des Gebrauchs sich völlig entäußern / sich des ganzen Gebrauchs entsagen / & sich des Gebrauchs gänzlich entsagen /* reperitur. In statu ergo humiliationis, CHRISTVS non omnia habebat, quoniam glorificatio, sive exaltationis status nondum aderat. Hunc ardentissimis a Patre flagitabat precibus: *Pater, hora venit. Dicitur hoc ad maiorem rei certitudinem declarandam. Hebraeis admodum familiare est, tempus praesens, vel etiam praeteritum loco futuri adhibere. Esaias de incarnatione filii DEI futura loquens C. VII. comm. 14. praesenti &*

C.

C. IX. c. 6. praeterito utitur tempore. Eadem loquendi ratio Scriptoribus Novi Testamenti insolens haut est, ceu ex variis patet exemplis. Sic Apostolus Iudas Prophetiam Enochi (a) de adventu DEI ad iudicium recensens, inquit: Ἰδὲ ἦλθε κύριος c. XIV. ita etiam servator, hora venit, δόξα σὺν σοὶ τὸν κριτὸν ἵνα καὶ ὁ υἱὸς σοὶ δοξάσῃ σε.

(a) De Enocho ac Prophetia ejusdem legisse haut poenitebit HERMANNVM WITSIVM, in Commentario in Epistolam Iudae scripto, & BRAVNIVM l. c. p. 711. seq.

## XIV.

Paullus Phil. II. 9. adserit glorificationem hanc ex voto contigisse, inquit: Διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερέψασε &c. Vbi particulam διὸ non causaliter sive αἰτιολογικῶς, verum ἐκβατικῶς & eventualiter esse capiendam monent Theologi, cum CHRISTVM passione sua nihil sibi meruisse summus VIR IOANNES FRIDERICVS MAYERVS, peculiari demonstrarit Dissertatione. Consequens igitur humiliationis fuit exaltatio, secundum humanam CHRISTO competens naturam. Iuxta eam quippe naturam est exaltatus, secundum quam exinanitionem est expertus. Cum vero divina ab omni prorsus mutatio-

nis cuiuscunque abhorreat umbra, liquido inde & ad oculum patet, neque humiliatorem, neque glorificationem in divina contigisse natura. Haec autem in plenario & incessanti adtributorum Deitatis usu est posita, id quod comma quintum satis clare videtur indicare: Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te prius quam hic mundus existeret. Colligere enim inde licet, aeternam hanc esse gloriam, cuius perfectum sibi poscit dari usum, siquidem iam ante creationem mundi, eadem penes Patrem gauisus esse dicitur. Notum quippe cuius est, quae ante iacta mundi fundamenta esse dicuntur, stilo scripturae vocari aeterna.

## XV.

Glorificationem a Patre filio impertientiam sequi debebat glorificatio Patris a Filio profectura, ceu clausula commatis primi indicat, cum versiculo secundo plane indivulso copulata nexu. Sequentis vero ille est tenoris THEODORO BEZA interprete: Sicut dedisti ei autoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam aeternam. Respicit hic Servator benignissimus ad Psalmi octavi comma septimum, quo regium Messiae

fiae

siae officium graphice admodum a Davide describitur. Rex est CHRISTVS in monte Sion Ps. II. c. 6. יהוה צרקנו Ierem. XXIII. c. 6. Eiusmodi est Rex, cuius Maieestas (\*) infinita plane ac immensa est. Equidem Principibus magna competit potestas, ast nulla prorsus eadem est, si cum virtute Servatoris nostri, vel aliqua saltem ex parte contendatur. Hic invincibilis & victoria fido semper utitur comite, quod tantum est, ut de nullo propitia veritate Principe possit praedicari. Quantum itaque discrimen, inter umbram & corpus, effigiem & Archetypon, Solem & lunam, paucis divina inter atque humana datur, tanta pariter differentia inter regnum sospitatoris nostri, & cuiuscunque Regis, vel Imperatoris potentissimi reperitur.

(\*) Totum a Philosophis salutari consuevit potestativum, quoniam est congeries varii generis facultatum, semetinvicem non reipsa distantium; sed saltem habito ad diversa respectu obiecta, inter se differentiam. Perinde uti anima rationalis cum simplex plane sit Spiritus, nihilo tamen secius diversis gaudet potentis, ceu eruditis de eadem Scriptoribus, dudum est observatum. Sol lutum indurare, butyrum ex adversa parte liquefacere deprehenditur, una interim eademque solis virtute existente. Ita pariter una se est Maieestas, si vero mentis oculos, ad diversa circa quae versatur obiecta reflectamus, diversis illa nominibus est insignienda.

B 3

XVI.

## XVI.

Vtut enim excellens valde sit Maieſtas  
(†) Imperantium , non tamen propterea  
omnes

(†) Varii de hac ſuprema in qualibet civitate potentia,  
proſtant Auctores, Scriptoriſus Bibliothecarum quae  
vocantur Philoſophicarum paſſim laudati, quibus  
nonnullos addere, haut praeter rem erit. Primum  
itaque dabo locum IACOBO VSSERIO Archi-Epi-  
ſcopo Armachano, ac totius Hiberniae Primati,  
Hic enim ſcripſit peculiarem de poteſtate Regum &  
obediētia ſubditorum librum quem A. M D CLXI.  
editum, Regi Anglorum CAROLO II. nepos Vſſe-  
RII inſcripſit, uti diligentiffimus vitae Vſſerianae  
ſcriptor THOMAS SMITHVS p. m. 120. obſervavit,  
Adde p. 121, & ſequentem, ubi hiftoriam huius  
ſcriptionis eruditae Smithus ediffervit. Theologum  
excipiat Politicus proſus inſignis, acutiſſimus ille  
IOANNES LOCKIUS, propter communicatum cum  
orbe erudito, duplicem de Regimine Civili tracta-  
tum, Anglos comitetur iam kalus, doctiſſimus pla-  
tine Romanorum Antecellor, IANVS VINCENTIVS  
GRAVINA, tum in ſingulari de Iuriſdictione & im-  
perio commentatione, tum quoque in Originibus  
Iuris Civilis. Socios dabo huic duos ſcriptores Ba-  
tavos longe eruditiffimos, quorum alter GERAR-  
DVS de NOODT Iuris in Academia Lugduno-Bata-  
va paucos ante annos Antiffes elegantiffimam de iu-  
ſtore imperii habuit Orationem, alter vero GERARDVS  
de VRIES, Philoſophiae quondam in Ultraſectina  
Muſarum ſede Doct̄or pulcherrimam de Imperio &  
Obſequio in Civitate ſcripſit Diſſertationem.

XVI

B 3

Omnes in universum superat leges. Tam absurdum est inquit DANIEL GEORGIUS MORHOFIVS, Principem esse laxatum legibus, quam in dirigendo navis cursu, gubernatorem non haerere gubernaculo. Extant hinc eruditae CHRISTIANI ROE-RENSEI de imperantium potestate absoluta & limitata ac IO. FRANCISCI BVDDEI, de Principe legibus humanis, non vero divinis soluto, Dissertationes. Servatoris vero nostri Maiestas, leges quascunque prorsus transcendit. Ipse est in caelo, & efficere potest, quaecunque voluerit Ps. CXV. 3. Omnia quae vult, facit, in caelis, in terra, in mari & in cunctis profunditatibus Ps. CXXV. 7.

## XVII.

Principes haut raro sua abutuntur potentia. Bene B. NICOLAUS ANDREAS POMPEIVS: Magnus, potens & celsitudine indolis prae ceteris eximius Princeps comparari potest cum caelo novam intemperiem, turbidam & fulminatricem parturienti, a qua concussus mille procellis terrarum orbis pefundatur. Item: Princeps eximiae potentiae nihil civilis nihil placidi & tranquilli; sed vasta immensa & turbulenta meditatur. Mortalium sanguine, immortalia sibi decora sparrare

rare cogitat. Imperare vult universis, qui sibi non potest. Sacratissimas aras diruit, ut sibi divinas excitet, non contentus humano fastigio. In scelere & dehonestamento adream, in lacrymis & gemitu alieno gaudium, in pernicie omnium suam salutem quaerit. Non ita potentissimus huius Univerſi moderator: iustus est & iustitiam amat. Pf. XI. 7. ac iudicia eius vera sunt & iusta Apoc. XVI. 7.

### XVIII.

Principes quandoque, ut infirmitati succurrant suae, federibus indigent. Absit a nobis, ut idem in regno potentiae, ulla ratione de Servatore nostro suspicemur. Aliter autem sentiendum est, si ad regnum gratiae respiciamus. Duo quippe in hoc ex mera benignitate sua cum genere humano pepigit federa (\*), alterum legale, alterum vero Evangelicum.

(\*) Si vocabulum federis in rigore capiatur morali, per se patet nullum plane DEVM inter ac homines dari posse fedus. Hoc quippe sensu, illud est pactum publicum inter duos Imperantes, duos Populos aut binas Respublicas, de negotio quodam publico constitutum. Requiritur ergo ut inter pares ineat, & ante illud, nulla utrinque ad id quod deinde sancitum est federe detur obligatio, quorum neutrum heic potest adplicari. Quapropter nil aliud restat, quam

gelicum. Posterioris iterum duae dantur dispositiones testamentariae, quarum altera veteris Instrumenti, altera autem Novi Testamenti venit nominare. Spectant huc, qui methodo federali Theologiam disposuerunt, quales sunt ex Reformatis, IO. COCCEIVS, HERMANNVS WITSIVS, IO. BRAVNIVS, alii, ex Nostratibus SAMVEL PVFENDORFIVS, IO. WOLFGANGVS IAEGERVS, CASPAR EXNERVS, Maxime-Reverendus VIR CHRISTIANVS REVTE-RVS, GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNERVS, & si qui sunt alii.

## XIX.

Principum potentia instabilis valde est. Hinc tot dantur regnorum revolutiones, tot reperiuntur imperiorum periodi fatales. Regni autem CHRISTI non erit finis Dan. VII. 14. Luc. I. 32. Magnes neglecto

B 5

nobi-

ut dicamus, aliquanto latius federis vocabulum accipi debere, ita ut pacto aequipolleat, sicubi de federe inter Numen & homines reperiundo, verba fiunt. Quae itaque peculiari Dissertatione, de notionum moralium & civilium ad alias disciplinas translatione caute instituenda scripsit celebratissimus Vir IO. FRANCISCVS BVDDEVS, circa praesentem imprimis sunt observanda notionem.

nobiliori metallo saltem ferrum ad se pellit & Magnates indignos saepe suo complectuntur favore. Servatoris vero nostri fidem respiciunt oculi & sine hac impossibile est ipsi placere Hebr. XI. 6. Is demum iudice MORHOFIO bonus est Princeps, cui insidet virtus, consilium subministrat prudentia, quem diademate suo vestit sapientia, cui purpuram suam circumponit iustitia. Quae omnia de dulcissimo Servatore nostro consentiente dici posse veritate, quis est, qui vel aliqua saltem ratione sustineat negare? Mare colorem coeli imitatur & subditi mira mores Principum exscribunt similitudine. Cadentibus in aquam radiis solis, imago magni huius luminis in eadem conspiciendam se praebet & virtutes Imperantium in civibus egregie lucent. Nostri igitur Redemptoris vita nobis pro exemplo, voluntas pro lege, & vox oraculi instar iure meritoque esse debet.

## XX.

Huius triplex Regnum ab ipso indicatur dicente: Quemadmodum ei (o Pater) dedisti potestatem in omnem carnem, ut vitam impertiatur aeternam cunctis quos dedisti ipsi. Potentiae regnum innuitur, dum mentio fit potestatis in cunctam carnem liberaliter

raliter ipsi secundum humanam concessae naturam. Haec est illa excellens *εξουσία*, quae eidem data est in caelo & in terra Math. XXVIII. 18. Pater quippe, ex amore quo erga filium flagrabat feruentissimo omnia ipsi in manus dedit suas IO. XIII. 35. & cuncta pedibus eius subiecit Ebr. I. 8. Beatissimum gratiae regnum indicatur, eo ipso, quo adfirmat Servator, se omnibus a Patre sibi per salutarem Evangelii praedicationem datis, vitam esse largiturum aeternam. Gloriosissimum illud Gloriam regnum designatur, quoniam Sospitator animarum nostrarum, vitae, in qua istud positum est aeternae, meminit.

## XXI.

Vita ceteroqui generatim loquendo, duplex est, quarum altera corpori adscribi solet, altera vero Spiritui consuevit adtribui. Corporis vicissim duplex esse statuitur, tum vegetativa, tum pariter sensitiva. Prior plantis competit, atque in circulatione succi, quo eadem gaudent, nutritii, per varios ductus ac canales continuata, est posita. Posterior autem animalibus tribuitur & in admiratione digna sanguinis circulatione, per plurimas tum venas tum arterias propagata consistit. Ea vero quae Spiritibus tribuitur vita, pariter non

non unius eiusdemque est generis; sed variam obtinet conditionem, prouti Spiritus ipsi a semet invicem differunt. Non adtingo in praesenti vitam Patris spirituum, Numinis scilicet Beatissimi, neque moror Angelorum perfectissimam longe vivendi rationem. Saltem mentium humanarum vitam paucis spectasse iuvabit. Gaudent autem miseri mortales & vegetativa & sensitiva & rationali vita. Cave tamen, ne inde triplicem cum HVNDESHAGENIO, homini adfingas animam, aut cum IOANNE SPERLINGIO, unam quidem illi vindices, sed eam eius esse naturae contendas, ut animam vegetativam & sensitivam virtute comprehendat. *Horum enim errorem vel inde coarguamus licet, quod posteriores illae animae quas appellant, ab anima rationali tota sua natura differant, & distinctae a corpore eiusque partibus non insint, sed ipsam indicent aptam partium humani corporis solidarum & liquidarum dispositionem & motum, a quibus effecta eiusmodi, quae miramur in nobis, & vulgo ignoto principio, animae nimirum brutae vel vegetanti tribuimus, existant, verba sunt celeberrimi IO. GOTHOFREDI BERGERI Physiol. Med. L. 1. C. 1. p. m. 3.*

## XXII.

Cum vero homines, partim ceu agentia,  
quae

quae vocantur naturalia, partim tanquam ci-  
 ves regni gratiae, partim denique veluti in-  
 colae regni Glorïae queant spectari, haut ma-  
 le eorundem vita in naturalem, spiritualem  
 & aeternam dividitur. Vitae naturalis causa  
 est, illa mysterii plena corporis cum mente  
 copulatio, his legibus a sapientissimo, quod  
 omnia moderatur Numine constituta, ut ad  
 certos corporis motus, certae oriantur in  
 mente perceptiones & iterum positae opera-  
 tionibus mentis, sequantur in corpore varii  
 generis motiones. Quamdiu itaque huius-  
 modi mutuum actionum atque passionum  
 mentis pariter ac corporis durat commer-  
 cium, tamdiu etiam anima in corpore ceu  
 idoneo commoratur habitaculo, quae mora  
 vitae solet adpellari nomine. Adeo ut vel  
 hinc conicias, eandem in continua succi nu-  
 tritii ac sanguinis circulatione, per aptam par-  
 tium corporis dispositionem producta, atque  
 a mente directa (\*) unice positam esse.

(\*) Nonnullos CARTESII adsecutas, omnem prorsus  
 mentis directionem imprudenter excludentes, doctis-  
 sima de Homine Automatico Dissertatione consultavit  
 GERARDVS de VRIES.

XXIII.

Vita autem spiritualis complectitur uni-  
 ver-

versum qui vocatur Christianismum. OV Basis eius est absolutissimum Servatoris meritum, vera fide receptum ac adprehensum, atque adeo est hominum vocatorum ad ecclesiam, quorum intellectum salutari luce collustravit Sanctus ille Spiritus, voluntatem in peccatis mortuam a Spirituali suscitavit morte, & ad mala quaevis pronam ad patrationem cuncti generis bonarum ac cum laude coniunctarum extimulat actionum. Horum est vita spiritalis, qui regenerati caelitus, gratiose iustificati, ac mystice cum Sacrosancta Trinitate uniti, id operam dant sedulo, ut gravissimum longe peccatorum sensim deponant iugum ac successive conculcent. Hanc deinceps sequitur aeterna, ceu victoria certamen, nuptiae desponsationem & distributio brabei consummatum excipere solet cursum. Hanc Redemptor omnibus piis dare ex mera vult gratia, ac ideo efficacissimum commate sequenti commendat medium ad consecutionem beatissimae huius vitae manuducens. Ita enim Servator inquit: Haec est autem vita aeterna, ut te solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

## XXIV.

Divus Ioannes commate 20. Capitis Vti prioris quam scripsit epistolae, Christum vocat

cat ζῶντι ἐπιώντιον & hoc loco salutarem eius cognitionem eodem mactat elogio. Nulla tamen hic ne minima quidem reperitur contradictio, cum adfirmatio unius non statim alterius soleat esse negatio. Equidem certum est, ipsam in CHRISTO formaliter non consistere beatitudinem aeternam, non tamen inde sequitur eum causaliter ita vocari non posse. Christus quippe est, via veritas & vita, ac nemo ad coelestem venit Patrem nisi per illum Io. XIV. 6. Ipse est lumen mundi, & qui illum sequitur, non ambulabit in tenebris; sed lumen vitae habebit Io. VIII. 12. Est panis vivificus, qui de caelo descendit, quicumque de hoc pane manducaverit, in aeternum vivet. Io. VI. 51. Quinimmo uti IESVS est resurrectio & vita Io. XI. 25. ita etiam est vita aeterna, adeo ut metonymiam efficientis pro effectu hic invenire liceat, quam pariter in commate nostro offendimus, dum cognitio Salvatoris vita esse dicitur aeterna. Nulla etiam locum hic reperit contrarietas, siquidem eo ipso dum Christus aeternam nobis confert felicitatem, idem praestare censenda est notitia eiusdem salutaris, & vice pariter versa, cum collatio salutis, non tam ab actu illius, quae in nobis datur notitiae quam potius ab obiecto, circa quod illa versatur, Servatore nempe nostro pendeat. Perinde ceu extinctio sitis, neque  
actu!

actui haurientis aquam, neque vasi quo illa porrigitur; sed potae saltem adscribenda est aquae.

## XXV.

Mens ergo CHRISTI eo redit; Haec est vita aeterna, haec est ratio ad eandem perveniendi, hoc est medium ad illius consecutionem vel maxime faciens. Profecto eiusmodi est medium, quod oculos aperit nostros, ut coelestem invenire queamus Paradisum. Medium, vi cuius pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Rom. V. 1. Medium ad cuius conspectionem Satanas contremiscit & infernus timore concutitur. Medium est cum via ad coelum ducente merito comparandum, & cum scala quam Iacobus per quietem vidit iure contendendum. Et si enim HERMANNVS VVITSIVS pie probavit ipsum hac scala indigitari CHRISTVM, neque tamen analogiae fidei adversas tenebo partes, si dixerò idem de salvifica eiusdem cognitione. Sicuti enim Ioannes & Redemptorem & eius notitiam nomine vitae mactavit aeternae: ita pariter scala haecce tam Christum quam eius notitiam potest notare. Haec vero non sola sufficit, verum & Patris cogni-

cognitionem adprime necessariam esse iudicat Christus: Haec est vita aeterna inquires ut te solum verum Deum cognoscant & quem misisti IESVM CHRISTVM. Vbi Pater solus praedicatur verus DEVS neque in oppositione ad Filium, neque in contradictione ad Flamen Sanctissimum, cum exclusiva secundum regulam Philosophorum, non quodvis, verum saltem extraneum excludere soleat. Filius autem & Spiritus Sanctus cum Patre unus idemque numero est Deus, ceu dudum adversus ARII impiam haeresin ex insana prorsus ambitione ortam PHOTI-NI pestilentissimam colluviem & SOCINORVM profanam valde cateruam ostensum est ab orthodoxis, adeo ut Iliada post HOMEROS tot scripturus essem, si huic immorari negotio constituissem.

XXVI.

Neque simplex tamen aut theoretica, verum tenerrimo cum adfectu coniuncta & summe practica sit cognitio Trinitatis necesse est, vi cuius in caelestem introire licet patriam. Vocabulum *γνώσκω* enim magna gaudere emphasi, tam certum est, quam quod certissimum. Sic Servator Io. X. c. 14. in Parabola, qua seipsum vocat Pastorem bonum, dicit *γνώσκω τὰ ἐμὰ, καὶ γινώσκονται ὑπὸ τῶν ἐμῶν*, quo ipso flagrantissimi

C

tissi-

tissimum ac reciprocum inter se atque pios inter reperiendum indicat amorem. Eodem pertinet, quando Matth. VII. 23. adseverat, se in novissimo die hypocritis esse confessurum: *ὁ δὲ πρὸς τὸ ἐγνων ὑμᾶς*. Quae tamen verba non cum everfione omniscientiae qua pollebat exquisitissimae sunt accipienda; sed saltem cognitionem cum eo amore, quo alias fideles complectitur coniunctam, aut electionem sub intuitu fidei finalis factam in anima CHRISTI respectu eiusmodi hypocritarum nullum plane locum habuisse testantur. Vnde haut praeter rem gravissimus primitivae ceu audit ecclesiae Pater AMBROSIVS scripsit: Nescire DEI est reprobare. Vno verbo per cognitionem Dei & Christi in textu nostro vera atque solida intelligitur fides.

## XXVII.

Inprimis autem IESVS CHRISTVS quem Pater misit vera fide est adprehendus. Pulcrum valde est, si nomina rebus respondeant suis. Egregium quippe nomen sine factis laude dignis nihil est, cum plena virtutibus vita pulcrum nomen magis magisque debeat nobilitare. Constantissima hinc inter splendidam adpellationem & excellenter actam concordia sit necesse est vitam. Alias illa cum fimo scitissime hyberno tempore

poro

pore candidissima nivis substantia tecto comparari merebitur. Enochum itaque praeclaro gaudentes nomine pia imitari decet mente. Enoch sanctum & DEO dicatum notat hominem, immo eiusmodi quempiam indicat, qui ab ineuntis aetatis flore in doctrina pietatis est initiatus. Omen itaque nomini penes Enochum felicissime pariter ac suavissime respondebat. Divinam enim ille degebat vitam, ac propterea a Numine ad caelestia evocabatur gaudia, ita ut non amplius in terris reperiretur Gen. V. 24. Acus Magnetica septentrionem quaerit, & mens pia Conditorum suum solerti investigatione indagat. Pietas Enochii terrae commercium nesciebat, atque idecirco instar aquilae ad Solem iustitiae sese elevabat. Enimvero quantum ab umbra distat corpus, tantum etiam Dulcissimi Servatoris nostri nomen & omen ab Enochii nomine ac omine differt. IESVS quippe non solum vocatur, verum etiam est CHRISTI tum nomine, tum re plaudentibus ea propter piis omnibus gaudet.

XXVIII.

IESVS vocabatur, quia populum suum praedicente Angelo salvaturus erat ab omnibus peccatis Matth. I. 21. CHRISTVS adpel-

labatur quia unicus est (a) tanquam Propheta Sacerdos & Rex Pf. XLV. c. 8. coll. Hebr. I. c. 9. Ef. LXI. 1. Io. III. 34. Hunc misit Pater scilicet in carnem, uti Paulus testatur Gal. IV. 4. Quæri hinc potest: An Salvator pariter queat dici Apostolus? Ratio dubitandi non una suppetit, cum partim fuerit Dominus & Magister Apostolorum, partim etiam requisita Apostoli a FRIDERICO SPANHEMIO peculiari de Apostolatu Exercitatione & HERMANNO WITSIO in Meletematibus Leidenfibus p. m. 31. seqq. enumerata ad ipsum adplicari nequeant. Nihilo tamen secius Paulus illum expresse ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν vocat Ebr. III. c. 1. (b) Eodem itaque iure Apostolus salutari potest, quo angelus federis adpellatur Mal. III. 1. cum parium par sit ratio, & Apostolus & Angelus in significandi vi qua gaudent eodem recidant. Non enim unius generis Apostoli sunt, cum alii Iudæorum, (c) alii Christi,

atque

(a) Consuli hic meretur IO. BRAVNIUS in Commentario in Epist. ad Hebræos p. m. 88. seqq.

(b) Confer denuo Braunium l. c. p. m. 188. seq. & Virum Maxime-Reverendum SALOMONEM DEYLINGIVM P. I. observat, sacrarum observat XLVIII. p. m. 201.

(c) Singularis de iisdem extat Disputatio Maxime-Reverendi D. LAVRENTII DAVIDIS BOLLHAGENII.

atque ii vel in statu exinanitionis (d) vel exaltationis (e) vocati fuerint, alius denique sit excellentissima prorsus ratione Apostolus cœlestis Patris. Quamvis igitur Redemptor neque Iudaeorum (f) neque sui ipsius fuerit Apostolus, eo potissimum sensu, quo eius Discipuli erant Apostoli eiusdem, negari tamen nequit eundem solenni plane modo Patris esse legatum, uti disertis in textu nostro fatetur verbis.

## XXIX.

Legati est sui quem veneratur domini,  
C 3 tum

(d) Catalogus illorum legiur c. X. Matth. c. 2. 3 4.

(e) Duo præcipue sunt, alter Matthias forte electus Act. I. 26. alter Paullus, solenni plane modo vocatus Act. IX. cuius vocationis tabulas Act. C. XXVI infertis egregia de nexu & discrimine donorum gratiae Dissertatione illustravit B. IO. GEORGIVS NEWMANNVS, pro licentia summos in Theologia capessendi honores tum temporis defensa a Viro celeberrimo GOTTLIEB WERNSDORFIO, Vitembergensis Academiae Decore prorsus insigni. Ex Reformatorum numero erudite disseruit de vocatione Paulli HERMANNVS WITSIVS in Meletematibus quae scripsit Leidenfibus p. m. 22. seqq.

(f) Sacerdos tamen summus penes Iudaeos fuit typus servatoris nostri, adeoque quaedam inter eundem & Antitypum scilicet CHRISTVM fuit conveniëntia.

tum commodis tum etiam honori, ea qua fieri potest adsiduitate studere. Hinc litteris uti vocantur credentialibus ornatur, quo eius aequis ac iustis molitionibus nemo resistere audeat. Prophetarum V. T. litterae credentiales erant miracula, quibus suam a Numine supremo missionem demonstrabant. CHRISTVS magnus ille Propheta Deut. XVIII. 15. 18. 19. promissus (a) multis cum miraculis pariter venit & nomen Patris se mittentis glorificavit. Ita enim commate quarto inquit: Ego te glorificavi in terra: opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem. Officium h. l. Propheticum dulcissimi Immanuelis nostri innuitur. Eum itaque, quem supra Regem sumus venerati, iam Prophetico etiam fungi munere laeti intuemur. David potens valde Israëlitis erat Monarcha, & tamen insimul Propheta sanctissimus. Purpurae qua vestiebatur regiae cum pallio Prophetiae nulla intercedebat pugna. Servator noster a Patre caelesti nomine servi sui Davidis Ezech. XXXIV. c. 23. compellatus, etsi Rex sit omnium potentissimus, Rex scilicet Re-

(a) Confer peculiarem BERNARDI SANDII Theologi Regionontani Dissertationem in h. l. & Maxime Reverendi D. SALOMONIS DEYLINGH P. II, Obs. Sacr. Obs. XVI. p. m. 175. seqq.

Regum, & Dominus dominantium, nihilo tamen fecius Propheticum munus ceu persona indignum sua haut adspernatur. Consistebat illud in manifestatione voluntatis Numinis supremi miseris mortalibus facta legis a detorsionibus Pharisaicis liberatione (b), Evangelii praedicatione, miraculorum (c) patratione & Sacramentorum una cum Ministerio Ecclesiastico institutione.

### XXX.

Posterior precationis CHRISTI pars, iis quae restant continetur commatibus, ae quomodo Salvator tum pro discipulis quos nactus erat, tum etiam piis in universon omnibus oraverit enarrat. Ita autem Evan-

C 4

gelista

(b) Vulgaris Socinianorum est sententia Servatorem nostrum legislatorem fuisse novum, cuius tamen infirmitatem B. MICHAEL WALTHERVS Filius singulari ostendit Dissertatione.

(c) De miraculis CHRISTI confer si placet HV GONEM GROTIUM in aureo prorsus de Veritate Religionis Christianae scripto L. II, S. IV. & V. PETRUM DAN. HVETIUM in Dem. Ev. Prop. IX. p. m. 825. seqq. & IOANNEM BRAVNIVM Comment. in Epist. ad Hebr. p. m. 128. seqq. Imprimis vero legi meretur HERMANNI WITSII triga Dissertationum in Meletematibus eiusdem Leidensibus repertiunda de iis pulere admodum praecipiens.

gelista c. 6. loquentem introducit Redemptorem: Patefeci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi selectos e mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servarunt. Nomen DEI diversimode admodum in sacris capitur scripturis, ceu a Theologis passim est observatum. Hoc tamen loco potissimum ad infinitam Numinis essentiam, gloriam prorsus singularem & attributa varii generis longe excellentia respicitur. Servator ergo eo ipso dum se nomen Patris sui manifestasse adserit, haut obscure indicat idem a se impletum esse, quod olim David prædixerit Ps. XXII. c. 23. Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio congregationis laudabo te. In fonte ibidem occurrit verbum **גָּדַל** haut contemnenda gaudens emphasi, praecipue si in coniugatione Piel adhibeatur, uti citato invenitur loco. Significat enim numerare, perfecte, accurate ac quasi ad numerum recitare. Hanc insignem plane diligentiam in recensendis DEI laudibus a se summo cum studio navatam Immanuel in nostro textu voce *Φανερόω* exprimit. Gaudet illa significatione manifestandi rem absconditam, & antea non satis notam patefaciendi & vocabulo *Φανεροποίηω* aequipollet, qua Graeci utuntur Patres. Innuit pariter revelationem & ostensionem rei cuiusdam remoto factam velo, quo sensu cum Lanio-

num

num & Sacerdotum V. T. voce *τραχηλίζω* a Paullo Hebr. IV. c. 13. de omniscientia Beatissimi Numinis usurpata coincidit.

## XXXI.

De ipso Redemptore nostro plus simplici vice in Pandectis reperitur sacris. Sic Doctor Gentium de incarnatione eius 1. Tim. III. 16. verba faciens inquit: *θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί* & de cruenta eiusdem passione loquens Hebr. IX. 26. Christum per sacrificium sui manifestatum esse scribit. Ille igitur Servator, qui tum per salutarem sui nativitatem vere manifestatus erat, etsi etiam temporibus V. T. admodum aenigmatice & per varii generis figuras adparuerit, ille Redemptor, qui mox per sacrificium proprii corporis erat adhuc clarius ostendendus atque revelandus, ille inquam se Patris sui nomen manifestasse adserit. Equidem tum existentia, tum essentia relative etiam ad tres distinctas personas habito respectu spectata, supremi Numinis non perfunctorie in V. tradebatur Instrumento; hoc tamen non obstante DEVS erat absconditus Es. XLV. 15. si cum clariori revelationis luce contendatur, quam felicissimis N. T. temporibus laeti possidemus, scientiae Patribus competentis modulus. Impertitus

illam nobis admodum liberaliter est dulcissimus ille animarum sospitator nostrarum. Nemo enim vidit DEVM sed CHRISTVS qui est in sinu Patris illum nobis manifestavit Io. I. 18. & in facie eius videmus gloriam DEI 2. Cor. IV. 4. 6. Gloriam scilicet tum iustitiae, tum etiam immensae prorsus misericordiae Dei in Servatore nostro, ceu ex polito valde speculo reflectentem conspiciamus. Atque iustitiam quidem intuemur, videntes Patrem proprio nequidem pepercisse filio Rom. VIII. 32. verum potius peccata universi quaquam patet mundi in illum coniecta dirissimis adfecisse poenis ac intensissimis castigasse cruciatibus.

## XXXII.

Misericordia autem plane singularis beatissimi Numinis vel ipso sole meridiano clarior inde elucescit, dum ita dilexit mundum, ut unigenitum quem habebat filium, in crudelissimam tradiderit mortem, eo consilio, ut omnes credentes non perirent, sed vitam adipiscerentur aeternam Io. III. 16. Ita Servator noster nomen Patris sui manifestavit. Interim tamen manet adhuc hodie certa ratione Deus absconditus, & essentia ipsius in omnem prorsus aeternitatem manebit incom-

comprehensibilis. (\*) Adprehensiva itaque contenti esse debemus Numinis cognitione, cum comprehensivam non suppeditet infinita eius essentia.

(\*) Incomprehensibilitatem Dei tanquam peculiare illius adtributum singulari Exercitatione exposuit GERARDVS de Vries,

### XXXIII.

Quibus vero revelavit CHRISTVS nomen Patris? Respondet ipse ex textu : hominibus quos mihi o Pater de mundo dedisti *κ. τ. λ.* Non itaque cum FRANCISCO piscibus nomen Patris manifestavit Salvator sapientissimus, neque ANTONIO fratri suo asino concionanti praeluxit, verum iis voluntatem DEI declaravit, qui disciplinae erant capaces, hominibus scilicet ad imaginem Numinis intelligentissimi conditis. Atque *αυτοπροσωπα* illud fecit solis Iudaeis ceu peculiari ratione suis secundum carnem fratribus Pf. XXII. 23. Rom. IX. 5. ex quibus quosdam elegit interioris quasi admissionis Auditores, quorsum XII. Apostolos & LXX. discipulos haut incommode referas. Hos a profano mundi coetu separatos tanquam ministros & adparitores per praedicationem verbi Deus Salvatori nostro quoad humanam dederat

derat naturam, cum iuxta divinam semper fuerint sui. Κοσμοκράτωρι quippe omnia ἐν τῷ κόσμῳ existentia competant necesse est. Vocatur autem ita mundus ab insigni quo fulget ornatu, cum revera per suam varietatem omni splendeat ornamentorum & decoris genere. Aethiopes inde Ἰσθῆρα illum vocare, neque a terra, neque a rubore sed a solo potius ornatu celeberrimus BRAVNIUS censet, qui & observat Hebraeis יְרֵחַ & Graecis αἶθρα dici, quoniam ille utpote a multis annis conditus, reconditus quasi sit & lateat. Variis vero significationibus in sacris substat, quas FLACCIUS, RAVANELLS, alii litteris consignarunt. Quantum ego quidem iudico, tum hoc in loco, tum etiam passim in subsequentiis humanum vocabulo mundi intelligitur genus, perinde uti IO. III. 16. & Rom. V. 12. accipitur.

## XXXIV.

Homines igitur quosdam in sui ministerium sibi selegit Redemptor noster ex mundo, quorum pietatem praedicat his verbis: καὶ τὸν λόγον σὺ τετήρηκασι. In vulgus notum est, triplicis potissimum generis in Scriptura celebrari λόγον, ἐνδιάτετον nempe, προσωρινὸν & demum ὑπερατικόν. Primus cum



salutatur, Salvator noster benignissimus. Solennis quippe & familiaris valde Ioanni Evangelistae & Apostolo est haecce CHRISTVM compellendi ratio, quam divino actus spiritu, non tam ex PLATONIS schola hausit, quemadmodum CHRISTOPHORVS SANDIVS Filius & IOANNES CLERICVS delirant, idcirco excepti pro merito a viris eruditis, quam quidem ex Hymni XXXIII. c. 6. petiit.

## XXXV.

Cum igitur vocabulum λογος θεος adeo  
fit

tionem pariter, pro diversa scilicet eiusdem explanatione mereatur. Improbanda eadem merito est, si per Archetypam essentialem Numinis beatissimi intelligas Theologiam quia amplum nimis illius est obiectum, quam ut nostram ad eandem expressam salutare queamus Theologiam. Quodsi vero eam qua DEVS gaudet rerum sacrarum notitiam idealiter capias, atque per illam adeo conceptum Dei de negotio salutis nostrae, sicra revelatum scriptura intelligas, omni prorsus res haec caret difficultate, sed prolixiori hae in materia mihi esse non licet, quoniam totum quidquid huius rei est negotium egregie persequuti sunt Theologi consummatissimi meaque laude maiores B. DANHAVVERVS B. SCHERZERVVS. Illustris MAYERVVS Magnificus CASPAR LOESCHERVVS & Summe-Reverendus IOANNES KAHLERVS, alii. Viris itaque his longe celeberrimis decentissimas pia mente persolve grates, mihi- que de facto liberaliter otio valde gratulor.

sit πολύσημον haut immerito quaeritur, quo  
 sensu hoc loco idem accipiatur? Eamus si ita  
 libet per singula, ea qua fieri poterit brevi-  
 tate huius rei capita. Id si faciamus vel sua  
 sponte patet ἐνδιατετον non posse intelligi λό-  
 γον. Quo pacto enim quis abdita divinae  
 essentiae in quae ipsi introspicere non est da-  
 tum, servaverit, aut qua obsecro ratione,  
 quae in suam non venere mentem custodi-  
 verit? Cum ἐνδιατετω autem Numinis λόγῳ,  
 quatenus is in mente eius haeret, ita esse  
 comparatum, quis est nisi cum ratione insa-  
 niat, qui vel aliquo saltem modo dubitare  
 non dicam penitus negare ausit? Neque ser-  
 vator semetipsum intelligit. Etsi enim ille  
 suavissima cum credentibus in unum corpus  
 coalescat unione, atque adeo mediante ve-  
 ra fide, ab iis non solum adprehendatur, ve-  
 rum etiam actu ipso possideatur, nunquam  
 tamen quoad ego sciam stilo scripturae à piis  
 & fidelibus dicitur servari. Ipse potius cre-  
 dentes servat infra c. 12. Φέρων τὰ πάντα  
 τῷ ρήματι τῆς δυνάμεως αὐτῆς. Hebr. I. 3.  
 Quapropter nil aliud restat, quam ut ad-  
 seramus λόγον hic indigitari προφορικῶν, ρη-  
 ματα illa, quae a Patre sibi data iterum Ser-  
 vator liberalissime impertitus est credentibus  
 c. 8. λόγον istum a Patre acceptum ipsis vicis-  
 sim datum c. 14. qui est veritas c. 17. & ex quo  
 alii pariter sunt fidem concepturi c. 20. Ac-  
 cedit

cedit & hoc, quod λόγος cuius meminit CHRISTVS construat<sup>r</sup> cum verbo τηρεῖν indicio longe gravissimo, verbum DEI scriptione revelatum, ac a Servatore discipulis quos nactus erat adsidue praedicatum hoc loco esse, accipiendum.

### XXXVI.

Hoc ergo volebat Salvator auditores suos semen verbi divini liberali ore a se sparsum, agro cordis sui prompte admodum excepisse, ac eodem illud custodivisse, adeo ut fructus ampli inde debeant expectari, cum semen profundas valde in mentibus eorum egerit radices. Ea de causa illos etiam commate 7 & 8 magnis ornavit laudibus, inquit: Nunc noverunt omnia, quae dedisti mihi, a te esse. Quia verba quae tradidisti mihi, tradidi eis. Quibus vel obiter saltem consideratis, liquido & ad oculum patet priori versiculo positionem quandam tradi, posteriori autem eius reperiri probationem. Thesis est sequens: Nunc cognoverunt, quod omnia quae dedisti mihi sint a te profecta. Certe mira cuiusquam videri posset haec positio, ac inutili unius eiusdemque rei laborare repetitione: Ast aliter sentiendum esse, accuratior eius nos docebit contemplatio. Scili-

Scilicet Servator noster ipse equidem probe sciebat, Patrem sibi secundum humanitatem plurima dedisse; sed iam thesi ante adlata ostendebat, idem suos vera ac salutari notitia cognovisse discipulos, illos in conscientia de veritate huius rei sufficientissime convictos esse, ac Praeceptorem suum ab omni prorsus imposturae suspicione ac labe arrogantiae tetra valde liberare. Quo posito verborum sequens erit sensus: Verum est mi Pater te mihi divina concessisse attributa. Hoc non solum ego grata adgnosco mente, verum & illi quos mihi dedisti, tuam idcirco pii venerantur munificentiam, & illi fidem habent verbis a me prolatis, atque adeo *ὁλοκαρδίας* continentur originem gloriae mihi datae in tua unice essentia veluti cuiuscunque generis bonorum fonte in exhausto esse quaerendam. Hominis sapientiam & veritatem sectantis est, adsertionum sicubi id necessitas flagitat suarum solidas dare probationes. Idem a CHRISTO hoc factum esse loco deprehendimus. Hinc c. 8. positionis c. 7. propositae adfert confirmationem dicens; *ὅτι τὰ ὀνύχια &c.*

Egregia sane haec est demonstratio, & Euclidea quavis fortior *ἀπο-*

**D** XXXVII

Sequentes quippe in eadem latent collectiones. Quicumque cum adprobatione ac adfensu verbum Patris a filio praedicatum acceperunt, illi etiam vere cognoverunt CHRISTVM a Patre exiisse & ab eodem in hunc mundum esse missum. Atqui Discipuli Servatoris &c. E. & quicumque cognoverunt vere CHRISTVM a Patre exiisse & ab eodem benignissimo Parente in hanc rerum universitatem esse missum, illi pariter in conscientia sunt convicti, quæ Servatori mortalium sunt data a Patre eius suam habere originem. Atqui auditores Salvatoris  $\kappa. \tau. \lambda.$  E. Prioris ratiocinii Propositio vel Maior ceu in Scholis Logicorum vocatur, inde probatur, quia verbum Patris hanc ipsam adstruit veritatem. Adsumptum a Philosophiae Rationalis Scriptoribus Minor salutata, sponte sua patet, quoniam id de suis quos nactus erat discipulis in textu adserit animarum sospitator nostrarum. Posterioris autem argumentationis Propositio vel ea de causa esse vera deprehenditur, quia mittentis est, misso communicare, quæ ad dextram negotii administrationem spectant, cuius gratia illum misit Dominus. Sic Principes suis quos mittunt legatis sufficientem concedunt & auctoritatem & facultatem, uno verbo iura legatorum iisdem conferunt. Cum itaque dul-

cissi-

cissimus noster Servator pacis exoptatissimae  
solennis admodum sit Apostolus, non imme-  
rito inde colligitur, Patrem mittentem, nec  
in re seria ludentem ac nequidem propter  
eximiam sanctitatem nugas agere volentem,  
eum pariter sufficienti instruxisse agendi po-  
tentia, ac iis omnibus abunde decoribus or-  
nasse, quae vel ulla saltem ratione ad lauda-  
bilem ardui plane officii perfunctionem face-  
re poterant. Ad assumptum autem poste-  
rioris argumenti quod attinet, veritas illius  
quoque ex textu nobis ante oculos versante,  
meridiano quod aiunt sole clarius dispalescit,  
atque adeo nulla prorsus indiget probatione.

### XXXVIII.

Ita quippe Immanuel noster: Quia ver-  
ba quae tradidisti mihi, tradidi eis: & ipsi ac-  
ceperunt, & vere norunt me a te exivisse, &  
crediderunt me a te missum esse. Quenam  
vero fuerunt haecce Patris verba? Fidei ana-  
logiam, comiter merito a quovis habendam  
suo, a me laesam plane non iri confido, si  
dixerim, ad universam respici hic posse Scri-  
pturam. Cum enim & Pater efficiens eius-  
dem sit, verbum Patris scitissime saluari po-  
terit: Quinimmo Paulus totum quicquid  
huius rei est negotium egregie conficit Rom.

III. 2. Scripturam *λόγια τῆ θεῶ* vocans, ubi vocabulum DEI *ἑσιωδῶς* capi, extra omnem plane dubitationis aleam est positum. Quo maiori loquens instructus est potentia, eo fortiori quoque movendi facultate gaudent, quae effatus est verba. Supremum igitur Numen, quoniam nemini mortalium potestate concedit, validissima eloquatur verba necesse est. Cogitemus saltem efficacissimum illud FIAT in prima cunctarum quae sunt rerum genesi felicissimo cum eventu pronunciatum. Perpendamus tantum tum hoc verbo *προφορικῶ* tum etiam excellentissimo *ὑποστατικῶ* mediante totam hanc rerum universitatem scitissime conditam esse Hebr. XI, 3. Consideremus quae Deum verbo hocce suo vocare quae non sunt, ut sint Rom. IV. 17. Atque haec uti de verbo potentiae Numinis Immortalis valent, ita & gratiae plena eius Oracula insita sibi divinitus gaudent vi atque efficacia, suaviter tamen in cordibus hominum operanti. Semen quodcumque adcuratius contempleris, atque plasticam & vivificam in eodem reperies virtutem. Verbum DEI semen est Luc. VIII. 11. ac proinde interna non destituitur agendi efficacia, quinimmo nil aliud nisi vis est, cum sit potentia DEI ad salutem omni credenti Rom. I. 16. Est vivum & efficax Ebr. IV. 12. (\*) ob arctissimam cum sanctissimo Spiritu unionem,

nem, utpote cuius per scripturam agentis operatio nunquam a verbi scripti *επεργεια* aut divellenda aut separanda est. Cautè siquidem hic procedendum esse arbitror, ne vel scripturam suasionè saltem morali citra specialem sancti Flaminis cooperationem agere contententes, in periculosum incidamus Paionisimum, aut Spiritus Sanctissimi extra Scripturam docentes operationem ordinariam, in profundum valde Enthusiasmi præcipites ruamus barathrum.

(\*) Elegantissime locum hunc explicavit & egregie eundem ex Antiquitatibus Judaicis illustravit IO. BRAVNIVS in Comment. p. m. 248.

XXXIX.

Magna idcirco Oraculis in Scriptura revelatis, utpote divina gaudentibus vi competit autoritas, quam proinde vesanis cum Pontificiis & nonnullis in antiquitate Ecclesiastica versatissimis Reformatis, ab ecclesiae testimonio arcessere nefas duco, etsi provocatione ad 1. Tim. III. 15. facta, illi suam emollire laborent sententiam, ac monstrum opinionis absurdæ satis, admodum Studiose quamvis perperam pingere conentur. Tum quippe demum vera erit illa, quando iubare splendidissimo coruscans Sol, ab obscura si

in se spectetur luna suum est foeneratura lumen. Tum demum firma, cum lapis angularis & fundamentum innitentur aedificio. Tum robusta, quando debilitas est praevolutura robori etiam eximio. Denique tum demum erit cum sapientia proxime coniuncta, cum maxime insignis stultitia, prudentiae haut vulgaris culmen superabit.

## XL.

Rectius longe Servator noster procedit, ingenuo prorsus largiens ore, *ἐμματα* divina a Patre sibi esse data. Hoc ipso quippe simul indicat, a DEO unice Scripturae auctoritatem pendere. Duplex autem est rerum sacrarum notitia, quam Pater coelestis filio dedit suo, alia infinita, alia vero habitualis & finita. Priorem possidet Sacrosanctae Triados secunda uti vocatur persona, vi aeternae a Patre generationis, & humana in CHRISTO natura eandem habet mediante personali unione. In eo enim iacent absconditi omnes thesauri sapientiae & scientiae Col. II. 3. Neque id mirum, cum in illo habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter I. c. v. 9. Finita gavisus est Servator noster, instar aliorum hominum, quamvis in gradu longe excellentiori, quoniam propter  
varii

varii generis eximias plane dotes, homo sine exemplo & fuit, & ita salutari meruit. Insignis autem huius in CHRISTO reperiundae, habitualis tamen cognitionis Theologicae firmum ac solidum satis fundamentum reperisse mihi visus sum, in absolutissima eiusdem impeccabilitate. Vti enim ante lapsum Adami intellectus perfectior longe fuit, illa intelligendi facultate, quae adhuc hodie in naturali ratione ex eo oriundis valde miseris eius posteris est residua, quidquid in contrarium disputet vir celeberrimus NICOLAUS HIERONYMVS GVNDLINGVS: ita quoque lumen intellectus Adami secundi, ab omnibus plane peccatoribus longissime remoti, pellucidioribus multo fulget radiis notitiae, quam quidem nostra per deplorandam Adami a DEO defectionem vehementer debilitata intelligendi facultas est instructa.

XLI,

Accedit & illud, quod pestilentissima prorsus voluntatis malitia, quotidie multifariam corruptum iam antea intellectum contaminet, ac magis magisque tetra labe sua inficiat. Oriuntur inde mentis perturbationes nimiae, quas alio nomine adfectus vocare moris est. Hae deinceps reliquum pene

D 4

totum

totum obfuscant intellectus lumen, animoque in veritatem inquirenti, nebulas offundunt densissimas, ita ut miseri mortales deinde in spississimis & plusquam Cimmeriis ignorantiae & praeiudiciorum tenebris, huc illuc incerti quo vagentur, errent. Cum itaque nec ignorantia culpabilis mentem Servatoris nostri obsederit, neque ignes fatui opinionum uti vocantur praeiudicatarum, tanquam vitii quid habentis effecta voluntatis, in sanctissimo locum invenire potuerint, liquido inde & ad oculum patet, mirum quantum scientiam CHRISTI habitualem, hominum sibi relictorum superare cognitionem. Nihil tamen secius eadem crevit, & quidem re ipsa, quemadmodum & aetate & statura haut ficta aut simulata cepit incrementa Luc. II. c. 52. Haec ab aliis etiam hominibus poterat augeri (a), etsi propterea nulla flagitet necessitas, Terentium aut Platonem eidem Praeceptores adsignare (b).

(a) Confer MAYERVUM, peculiari de Praeceptoribus CHRISTI Dissertatione.

(b) Adi eundem in Exercitatione, quae in hanc inquirat quaestionem: Vtrum CHRISTVS legexit Platonem vel Terentium?

## XLII.

Eximium hunc tum divinae tum pariter  
huma-

humanae cognitionis thesaurum, Servator sibi non servavit soli, neque eundem sive invidia ductus, sive ignavia motus, pigri instar servi abscondidit; sed potius eodem largissime profuit aliis. Ipse hac de re tanquam summe-verax verissimum in textu nostro perhibet testimonium inquit: Verba quae dedisti mihi, discipulis dedi meis. Doctoris est, ea qua fieri unquam potest cum perspicuitate, summa fide, ac eximia humanitate sibi concreditorum mentes pulcherrimarum cognitione rerum imbuere. Idem de Salvatore nostro propitia potest adfirmari veritate. Clare docebat ille. Homines obscure loqui duabus potissimum de causis videmus, partim ex ignorantia, quando scilicet res sibi parum cognitas obscuris involvunt verbis, atque ita meros dant sine mente sonos, ne nihil profusus dixisse videantur, partim ex voluntatis malicia, ne alii grandium quae sibi concepere mysteriorum notitiam tam cito acquirere possint. Neutrum de CHRISTO valet. Summa quoque in IESU docente reperiebatur fides, vi cuius nihil eorum, quae Discipulis proficua esse futura sciebat, unquam reticuit; sed cuncta potius scitu & creditu necessaria illis revelavit. Invidiam, ceu pessimam (\*)

D 5

mo-

(\*) Omnes quippe adfectus, sua natura sunt indifferentes, ac pro diversa conditione obiecti, circa quod

motionum animi in hominem cadentium, odio prosequatur ferventissimo, longissime adeo ab invidorum in Scholis docentium, ad tradendas artes ingenuas plane ineptorum, scelestissimo more remotus. Neque cum gravitate decora, suavissime conditam iure quis in illo desiderare potest humanitatem. Vno verbo tres egregii Concionatoris virtutes, quales sunt. Docere, Movere & Delectare summo in gradu perfectionis suae constitutas, in dulcissimo Salvatore nostro intueri licuit.

S. D. G.

SYNOPSIS.

EXERCITATIONIS.

§. I. Matthaeus bis in monte precantem ostendit IESVM. §. II. Lucas eundem tribus orantem vicibus describit. De glorificatione Servatoris laudantur IO. FRIDERICVS MAYERVS & HERMANNVS WITSIVS. §. III. Ioannes egregiam Christi Cap. XVII. refert Orationem. Diligentia Servatoris in precibus

versantur modo boni fiunt, modo mali. Sola vero invidia indifferens salutaris nequit, cum semper sit mala.

precibus fundendis prorsus insignis est, quam  
 idcirco imitari debent Christiani. §. IV.  
 Congregatio Oratorii a PETRO BERVILLO  
 constituitur. Floret eadem multitudine Vi-  
 rorum clarissimorum. Ratio instituti. §. V.  
 Christus Discipulis, varii generis praedixit  
 calamitates. §. VI. Solatium adversus illas.  
 §. VII. Servator oculos ad coelum levat.  
 §. VIII. Oculi eiusdem superant Moysis faciem  
 & Caesaris Augusti lumina. §. IX. Mira res  
 est DEVM orare. Homines igitur multo  
 magis orare decet. §. X. Causa precum Chri-  
 sti. Comma septimum Psalmi. II. ad Messi-  
 am spectat, quidquid contranitantur non-  
 nulli Rabbitorum, una cum GROTIUS &  
 SCLICHTINGIO. §. XI. Generatio Patris  
 propria adversus RÖELLIVM. Iudicium  
 SPANHEMII Filii de opinione eius. Notae  
 in illud. §. XII. Adversarii RÖELLI. Va-  
 ria in Christologia sunt spectanda. §. XIII.  
 In Statu Exinanitionis Servator plenariam e-  
 quidem, minime tamen totam priorum  
 divinae naturae usurpationem deposuit. §.  
 XIV. Exaltationis status paucis descriptus. §.  
 XV. Officium Messiae Regium. §. XVI. Su-  
 perat Principum Maiestatem §. XVII. iustitia  
 §. XVIII. robore §. XIX. potentia ac duratio-  
 ne. §. XX. Triplex eius regnum in textu  
 indicatum. §. XXI. Vita varie capitur. §.  
 XXII. Triplex hominum vita. Naturalis.  
 §. XXIII.

§. XXIII. Spiritualis & aeterna. §. XXIV. Christus & salutaris eiusdem cognitio vita sunt aeterna quo sensu? §. XXV. Paraphrasis verborum Salvatoris. §. XXVI. practicam Trinitatis cognitionem CHRISTVS requirit. §. XXVII. Servator nomen & omen habet. §. XXVIII. Est Apostolus coelestis Patris, idemque §. XXIX. Propheta insignis, §. XXX manifestans Patris nomen. Emphasis verborum ספר & *Qavepóα*, quorum posterius §. XXXI & XXXII. saepius in N. T. de CHRISTO usurpatur. §. XXXIII. Imprimis Discipulis Servator nomen Patris manifestavit §. XXXIV. Varia acceptio verbi divini. §. XXXV. Quo sensu idem h. l. capiatur. §. XXXVI. Expositio verborum CHRISTI. §. XXXVII. Duplex in iisdem latet collectio §. XXXVIII. Verba Patris quatenus h. l. Magna eadem gaudent efficacia §. XXXIX. cum Pontificiis ab Ecclesia minime derivanda §. XL. Theologia Salvatoris duplex. Finita perfectior est aliis hominibus competente, quia & secundum humanam naturam prorsus impeccabilis est. §. XLI. Crevit eadem §. XLII. Aliis illa quavis ratione prodesse studuit Salvator Benignissimus.

DIS-

DISSERTATIO.

SECUNDA.

GENERATIM

PECCATA. OMISSIONIS.

CONSIDERANS.

CONSPECTVS.

**H**omo primus §. I. a Numine potentissimo aequae ac sapientissimo, corpore mira extracto arte donatus & mente immateriali §. II. ornatus: uno verbo ad imaginem DEI conditus §. III. comestione fructus arboris divinitus prohibitaе, non solum se, verum etiam suos in cuncti generis miseriam praecipites dedit posteros. Hinc peccatum Originis quod §. IV. & V. variis adumbratur similitudinibus & §. VI. species orti inde peccati actualis, commissionis nempe & omissionis delicta definiuntur. Postea §. VII.

&

& VIII. descriptio peccati Ioannea exponitur §. IX. tres passiones dominantes enarrantur, nec non §. X. Obiecta voluntatem hominis seducuntia varii generis similibus depinguntur. Praeterea §. XI. & XII. ostenditur peccata omissionis esse actualia, quamvis analogice sic dicta. §. XIII. & XIV. Causae Moralis natura traditur ac §. XV. XVI. & XVII. exempla peccatorum omissionis adferuntur. Denique §. XVIII. finis priori imponitur Dissertationi, transitu ad posteriorem facto.



IESV.



IESV. SECVNDANTE.

I.

**P**Arens conditorque rerum DEVS, sexto creationis die, consummaturus magnificum ac splendidum eiusdem opus, Adamum ex gleba terrae creavit, atque eo ipso haut spernendum infinitae virtutis suae documentum edidit. Qui enim machinam, tot membra, tot ossa, tot musculos, tot venas ac arterias, tot vasa, tot canaliculos, tot ductus, tot liquores habentem (a), producere & effingere valet, is omnium

(a) Erudite quae ad considerationem hominis physicam spectant exposuere illustris CARTESIVS, experientissimus CRANEN peculiaribus de homine scriptio- nibus, HENRICVS REGIVS L. V. Phil. Naturalis, & celeberrimus IOANNES GOTHOFREDVS BERGERVS in Physiologia Medica, PHILIPPVS VERHEYEN in Anatomia corporis humani, IACOBVS DRAKIVS in anthropologia nova anglise scripta, alios in praesenti ut tacuimus.

omnium saniorum iudicio & potentissimus & sapientissimus sit, necesse est.

## II.

Quae insignis prorsus sapientia immortalis Numinis, vel ex eo etiam liquido & ad oculum patet, quoniam corpori huic scite elaborato (b) deinceps rectorem & motorem adiunxit omnis plane materiae expertem (c) animam, probe sciens solum corpus se

(b) Hinc ex variis illius membris, elegantissima, pro adstruenda Benignissimi Numinis existentia, nonnulli eruditorum petierunt argumenta. Sic ex consideratione corporis humani Atheum convicit illustris FRIDERICVS HOFFMANNVS & ex structura cerebri idem posse praestari, demonstravit IOANNES FRIDERICVS WUCHERER. Neque defuerunt Scriptores, ex aliis corporis humani partibus causam DEI perorantes. Ex oculo quippe B. IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS, ex aure venerandus IO. ANDREAS SCHMIDT, ex manu B. CHRISTIANVS DONATI & ex corde CL. GEORGIUS ALBERTVS HAMBERGERVS Numen esse probarunt.

(c) Errores PYTHAGORAE, ANAXAGORAE, DEMOCRITI, LEUCIPPI, ZENONIS, VARRONIS, STOSCHII, FRANCISCI MERCVRII HELMONTII, BERNARDI CONNORIS IO. CLERICI & PETRI GASSENDI de materialitate mentis brevibus notavi §. I. & II. Dissertationis de Spiritualitate DEI FRANCISCO CVPERO oppositae & Gryphiswaldiae A. 1707 editae. De monstis autem sententiarum

se loco movere, cogitare (d), intelligere, velle, nolle, eligere averfari non posse, uno verbo ad hominis constitutionem non sufficere. Mens ista exquisitissimis coruscabat perfectionibus (e) adeo ut primus homo, intellectus opera, supremum moderatorem rerum omnium sufficienter agnoscere & mediante volendi facultate, eum saltem eiusque

E VO-

quas HENRICVS DODWELLVS & VILELMVS COWARDVS in Psychologia fovent, peculiari Dissertatione placita quaedam Philosophica COWARDI excuniente Gryphiswaldiae A. 1708. typis excusa fui sollicitus. Idem postea saxum volvit doctissimus VIR SALOMON DEYLINGIVS P. II. Obf. Sacr. A. 1711. Lipsiae in 4. edita & quidem Obf. III. in Gen. II. 7.

(d) Quamvis THOMAS HOBBSIVS, EDMVNDVS DICKINSONVS & VILELMVS COWARDVS materiae cogitationem vel saltem cogitandi facultatem adscribere haut vereantur; nihilo tamen fecius contrarium evidenter demonstrarunt ce eberrimi Viri, VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS, IO. GOTHOFREDVS BERGERVS, PETRVS POIRETVS, RICHARDVS BENTLEIVS, ANTONIVS le GRAND, SAMVEL CLARKIVS, IACOBVS FAYVS, BERNARDVS LAMIVS Monachus Benedictinus, SALOMON DEYLINGIVS, alii.

(e) Adeundus hac de re est B. SEBASTIANVS SCHMIDIIVS singulari de Imagine DEI Tractatu, nec non CL. V. IOANNES MARRIVS in Historia Paradisi.

voluntati tantum congruentia adpetere vale-  
ret. Dabatur quoque in eodem, suavissimi-  
ma motionum animi & adpetitionum tem-  
peries.

### III.

Illam vero ineffabilem felicitatem per-  
didit comestione fructus arboris vetitae (f)  
& insimul universum quaqua patet genus hu-  
manum, longe infelicissimum reddidit, quo-  
niam in eo ceu radice, principio seminali,  
capite ac Rege eiusdem illud peccavit (g)  
Rom. V. 12. Primum hocce delictum, quae-  
dam quasi Pandorae pyxis fuit, ex qua quo-  
tidie alia prodierunt innumera. Equum  
Tro-

(f) Tametsi **CAMPEGIVS VITRINGA** L. VI. Obs.  
Sacra. Cap. XX. soliditatem & praestantiam studii  
scripturam allegorice interpretandi vehementer com-  
mendat, nunquam tamen laudibus istis id efficit, ut  
**HENRICI CORNELII AGRIPPAE, ISAACI VOS-  
SII, HADRIANI BEVERLANDI**, aliorum obscoe-  
na in expositione arboris divinitus prohibita sequar  
vestigia.

(g) Egregie totum quidquid huius rei est negotium  
persecuti sunt Theologi magnorum in Ecclesiam  
**CHRISTI** meritorum, **WOELFLINVS, MAIOR** at-  
que **KAHLERVS** scripturionibus satis superque novis.

Troianum dixeris, qui ingentem malorum  
 fegetem procreavit. Hinc pellucidissimam  
 in intellectu lucem spississimae exceperunt  
 tenebrae, in voluntate autem aversio a DEO  
 bonorum summo, & ex adversa parte con-  
 versio ad cuiusvis generis flagitia est secuta.  
 Hinc ortae sunt illae generis humani pestes  
 ac furiae, voluptas, ambitio, avaritia, qui-  
 bus mortalium haut pauci misere in transver-  
 sum abripiuntur. Ab Adamo in nos medi-  
 antibus nostris genitoribus, venenum istud  
 ac longe pestilentissimum virus est propaga-  
 tum (h), quod Theologis ideo peccati origi-  
 nis nomine consuevit venire, quia nempe  
 cuilibet hominum a prima statim origine  
 inest, ac praeterea scaturigo aliorum foecun-  
 dissima criminum & est, & optimo iure ad-  
 pellari meretur.

(h) Negant hoc Sociniani, atque inter eos, qui iam  
 est ad manus FRANCISCVS CVPERVS L. II. Ar-  
 canorum Atheismi C. X. p. m. 251. At explosae  
 dudum sunt hae nugae tum a Nostratibus, tum et-  
 iam Reformatis, quorum prolixum satis liceret tex-  
 re catalogum, si id in praesenti ageretur.

#### IV.

Quotiescunque enim, hancee omni-  
 bus naturali ratione oriundis Adami posteris,

E 2

con

Connatam considero labem, toties fontis venenati imaginem menti meae obversari deprehendo. Fonti suos debent natales rivuli, ex eodem scaturientes. Peccatum quoque originale non destituitur vitiorum actualium torrentibus, magna vi erumpentibus. Fluvii scaturiginis suae indolem imitantur, cum ex putridis lacunis, pellucidae raro proflire soleant undae. Idem de praesenti negotio iudicium esse ferendum arbitror. Ex stygio quippe labis connatae mari non nisi turbidae transgressionum uti adpellantur actualium aquae possunt emanare. Serpentes innoxia non procreant reptilia, neque maledictus sibi que relictus ager, praeter carduum & spinas aliquid producit, quod de peccato originali tam certum est, quam quod certissimum. Nam & hic obtinet illud: mali corui, malum ovum. Qualis arbor, talis fructus. Gangraenam esse, immo morbum hereditarium vocari posse peccatum originis, pro certo habeo, siquidem una cum sanguine Parentes illud in liberos derivant & transfundunt, quod deinde cancri ad instar universam pervadit hominum naturam.

VI  
V.

Quotiescunque enim, hancce omnia  
Coelum ideoque, nullo plane lucens  
ful-

fulgore, nullo prorsus lumine nitens, nulla serenitate coruscans; sed obscuris potius tectum velatumque tenebris, ac horrorem intensissimum incutere valens, mira profecto exseribit similitudine. Vti enim illud celerimos fulgurum ignes, ac inconditos tonitruum clamores portendit, immo ingentem imbrium; pluviae & grandinis molem secum trahit comitem: ita etiam hoc, fulgura & tonitrua irae Numinis potentissimi, meris vindictae ignibus aestuantis, grandinem ac imbres & temporalis & aeternae mortis excitat. Quae omnia, non solum originale, verum etiam actualia peccata, nisi imputatione meriti absolutissimi, Servatoris nostri vera fide facta, eorundem veniam consequamur, certo certius sequi solent. Varias autem criminum, actu ipso commissorum sunt species, quas vel exponere, vel saltem attingere, mea inpraesens nihil interest. Vnam saltem iam nominare liceat, qua vel commissionis vel omissionis esse dicuntur.

VI.

Ea vero contrariorum atque oppositorum esse solet conditio, ut cognitio unius pendeat a notitia alterius, & explicato uno, alterum vel sua sponte intelligi queat. Exposita quippe divitiarum indole, facillimo ne-

gatio quibuscum paupertas molestis & difficultatibus arctissime sit coniuncta patebit. Pulcritudinis essentiam, si quis probe habeat perspectam, nulla plane ratione, quid per deformitatem significetur, illum latere potest & vice versa. Quare aliquid etiam ad explanationem peccatorum omissionis faciet, nosse, quatenam sint peccata commissionis. Finiuntur illa, per aberrationes a norma legis divinae, quibus eadem vitioso quodam opere violatur, ac non una ratione laeditur. Quaecumque ita sint comparata, omissionis delicta nil aliud erunt, quam eiusmodi transgressionis, quae legibus haut convenienti intermissione, a regula praeceptorum supremi Numinis declinant.

## VII.

Peccatorum nomen ipsis competit, cum id ipsum ad oculum ostendit definitio peccati Ioannea I. Ep. III. 4. ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, quae uti a Spiritu Sancto immediate profecta est: ita necessario ἀκριβεία quasvis alias debet superare. Id quod describitur est ἀμαρτία, peccatum, cuius natura per ἀνομίαν exponitur. Notat illa quandam illegalitatem & legi divinae oppositam ἀτάξιν. Significat commissionem vel omissionem facti sine lege.

ge. Indicat quoque aberrationem a lege & renitentiam contra legem. Scita ergo divina in hacce transgressione negliguntur, voluntas ab iisdem, immo ab ipsomet DEO avertitur, & contra ad rem legi oppositam dirigitur & convertitur. Equidem finis omnium illarum, quae ab hominibus suscipiuntur actionum, gloria Parentis huius Vniversitatis esse debet; Ad hoc centrum omnes cogitationes, cunctos sermones, omnes denique molitiones de iure oportet tendere. Scopus praefixus esse debet Benignissimum Numen, cum solum summi Boni & nomen & rem gerat, eo quod nulli praeter ipsum κριτήρια eiusdem a Moraliū Doctoribus adferri solita competere, luculenter satis deprehendimus.

### VIII.

Summa igitur & ille fruatur felicitate necesse est, qui vere de Numinis possessione ac suavissima cum eodem unione, sibi potest gratulari. Ast nos miseri mortales aberramus a scopo. Ἀνομία ista quae nos omnes corrumpit, adeo est ἀνομος, ut plane nolit ad legem attendere, & eiusdem tum praeceptioni, tum prohibitioni, patentes praebere aures detrectet.

Voluntas quippe hominum  
E 4 exter-

externo saepius bonorum splendore seducta, ad eorundem adpetitionem abripitur. Misere enim post lapsum cum eadem agitur, utpote quae DEO inimica Rom. VIII. 7. adhaec in peccatis mortua est (i) Eph. II. 1. 5. Coloss. II. 13. Quemadmodum igitur homo mortuus, varie tractari potest, pro viventium ambitio; ita pariter cum voluntate irrogenitorum est comparatum. Modo huc, modo illuc ab obiectis suis protruditur, quae apta sunt, tum ad voluptatem, tum ad ambitionem, tum quoque ad excitandam avaritiam.

(i) Adprime hoc tenendum adversus Pelagianos, de quibus HENRICVS de NORIS Romanae Cardinalis Ecclesiae cum IOANNE NORRISIO scriptore Anglo haut confundendus, GERARDVS IOANNES VOSIVS in Historia ab utroque scripta Pelagiana & MELCHIOR LEYDECKERVS in Praeparatione Evangelica L. I. C. VI, & VIII. legi poterunt.

## IX.

Ad haec tria (k) quippe divinus Ioannes omnes mundi illecebras refert I. Ep. II. 16. Vbi per  $\epsilon \pi \alpha \nu \delta \upsilon \rho \iota \alpha \nu \tau \eta \varsigma \sigma \alpha \rho \kappa \omega \varsigma$ , voluptatem

(k) Fundamentum huiusmodi vitiorum in ternario temperamentorum simplicium numero quaesivi in Dissertatione de habitu Atheismi ad vitam civilem Viro celeberrimo CHRISTOPHORO HENRICO AMTHORIO A. 1710 opposita §. III,

tem indicari; tam certum est, quam quod certissimum. Ἀλαζονείαν τῆ βίης, ambitionem notare, satis quoque clarum esse videtur. Saltem scrupulum movet ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν: Ast excutit, eximitque eundem recepta ratio, avaritiam in sacris describendi litteris. Evoluas enim tantum L. B. Proverbia Salomonis, consulas saltem versiculum vigesimum Cap. XXVII & deprehendes, avaritiam per oculos insatiabiles ibidem significari. Praeterea ratio ex quotidiana dari potest experientia, quoniam avari summam capere solent voluptatem, ex contemplatione suarum opum, earundem assidua visione, sese recreantes. Tria haec vitia, simul cum obiectis suis, bonis nempe decoris, utilibus & iucundis, quamplurimos ex mortalium sorte, in transversum agunt, ab amore Numinis ad nimiam inordinatamque sui aestimationem, eos pelliciendo. Res quippe utiles, decorae ac delectabiles, sunt ignes quidam fatui, a recta via ad salebras & devia avocantes. Versamur hic in via ad patriam coelestis curiae. πολιτεύμα nostrum in coelis est Phil. III. 20. Non habemus hic manentem civitatem; sed futuram quaerimus Ebr. XIII. 14. Natura ut cum TVLLIO loquar, commorandi nobis diversorium, non habitandi locum dedit. Quantae vero ac

E 5

quam

quam multae non reperiuntur ἀνομίαι? omnes  
philautiae ex fonte peccati originalis scatur-  
ienti, originem debentes suam.

## X.

Si ergo ista, quae voluntati nostrae of-  
feruntur bona, paullo altius rimemur, & a-  
liquanto curatius intueamur, deprehende-  
mus, eadem cum certa quadam Serpentum  
specie, quae, EPIPHANIO, sepedonum  
nomine venit, pulcerrime convenire. De-  
scribit illam Praesul priscoe gravissimus ec-  
clesiae, quod innoxia vestita sit ovium velle-  
ribus, exitiali tamen nihilofecius veneno, in  
hominum perniciem sit armata. Sepulcris  
adsimilanda veniunt, elegantissimis extrin-  
secus picturis, alioque ornatus genere deco-  
ratis, intrinsecus autem si spectentur, cine-  
res atque ossa defunctorum, triste ac ingra-  
tum oculis spectaculum ostendentibus. Quam-  
vis igitur eiusmodi bona, pessime mentian-  
tur indolem veri nominis bonorum, tamen  
homines rationis & revelationis dictamen  
non audientes, ad varii generis malorum pa-  
trationem & plurimarum actionum laude di-  
gnarum intermissionem seducunt. Ambi-  
tioni enim deditus, multa, ut suo unice ho-  
nori consulat, omittit, quae non debebant  
inter-

THEORIO A. 1710 oppoia p. 11.

intermitti. Eadem ratione de aliis, vanae voluptati & ineptae prorsus avaritiae indulgentibus, iudicari posse arbitror. Ubique scilicet ingentem peccatorum omissionis molem licet invenire.

## XI.

Quaeri autem de illis potest, utrum ad peccatorum actualium uberrimam messem, an vero ad labis originalis foecundam segetem referri debeant? Si verum fateri velim, non possum non eadem in classem actualium referre transgressionum, quoniam ipse sacer Codex, sententiam hanc haut spernendis evincit argumentis. Iacobum quippe hic in partes vocandum esse existimo Cap. IV. 17. *εἰδότες ἔν καλὸν ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντι ἀμαρτία αὐτῶ ἔστιν* adferentem. Verba enim *μὴ ποιεῖν καλὸν*, talem quae actu fit intermissionem significare, extra omnem dubitationis aleam est positum. A Discipulo ad Magistrum, dulcissimum nempe Servatorem nostrum pergo. Sic autem ille: Amen dico vobis, quatenus id non fecistis, uni ex istis minimis, nec mihi fecistis, Matth. XXV. 45. Hic numero peccatorum actualium in impiis accensetur, intermissio operum beneficentiae,

libe-

liberalitatis & charitatis erga pios, quae sospitator benignissimus comm. 35. & 36 recenset. Eodem spectat effatum CHRISTI penes Lucam Cap. XII. 47. reperitundum: Ille autem servus, qui novit voluntatem Domini sui & neque se comparavit, neque fecit ex eius voluntate, caedetur multis plagis.

## XII.

Homines quoque in parabola se excusantes, ac vocationem ad regnum coeleste negligentes, omittebant aliquid, quod intermitteri non decebat, atque eo ipso crimine peccati actualis etiam analogice talis se obstringebant Luc. XIV. Distinguendum quippe esse sentio, inter *ἀταξίαν* actualem analogice & in rigore sic dictam. Si terminus accipiatur in adcuratissima significatione, commissionis unice adscribi debet peccatis: sin vero laxius paullo capiatur, suo sub ambitu omissionis etiam delicta poterit complecti. Etenim quamvis omissio, physica non sit actio, moralis tamen naturam atque indolem induere videtur, quia & in rebus morum, non agendo delinquere, & quod inde sequitur, imputationem licet subire.

## XIII.

**XIII.**

Patebit universum quidquid huius rei est negotium uberius ac dilucidius, si saltem ad Caput ex Philosophia Prima de causa & causato, aliquantisper attendatur. Etsi enim illud multis conspurcatum sit ineptiis (1) nihilo tamen secius, ibidem etiam aliquid licebit reperire, quod nobis in praesenti adprimum potest prodesse. Traditur ibi distributio causae efficientis, in physicam & moralem, egregie ad praesentis negotii expositionem faciens. Causa quippe Moralis influxu gaudet duplici, alio positivo alio autem privato. Positivo influxu utitur, quando per veram actionem largitur effecto essentiam: privativum vero tum licet reperire, sicubi causa moralis non-agendo, intermittendo, aut omittendo facit, ut hoc vel illud fiat aut non fiat.

(1) Eminent inter illas doctrina de quatuor causis, cui cuius obiter saltem inquirenti facile patet.

**XIV.**

Sequitur hinc, aliquem etiam non-agendo causam moralem posse rei cuiusdam esse, quia in Morali Philosophia, vocabulum

lum

lum actionis latissime capitur, adeo ut sub eodem quoque intermissio actionis comprehendatur. Illud tamen insimul observandum, requiri hic, tum ut aliquis agere debeat, tum pariter ut agere possit. Ei enim, qui neque debet neque valet agere, nil iure potest imputari. Excipitur autem casus, si quis propria culpa agendi ineptitudinem sibi procuraverit. Rebus quippe sic stantibus adhuc eidem effectus imputatur. Exempli loco esse potest totum genus humanum, cui non-impletio divinae legis rectissime imputatur, quoniam in Adamo eiusmodi impotentiam operandi contraxit sibi. Neque enim existimandum est, legem moralem ulla ratione in N. T. esse abrogatam. Est quippe immutabilis voluntatis divinae significatio, quae pro imperio, quid ab hominibus sibi subiectis fieri velit, iisdem indicat. Proinde nec illa adsertio erit toleranda, qua dicitur legem in novo federe *ἐπιεικέα* Evangelica esse temperatam, ex merito ea propter a nonnullis Nostratium proscripta (m).

(m) Factum id imprimis a B. IOANNE VILELMO BAIERO Theologo primus Ienensi, deinde Halensi, tandem Superintendente Generali Saxo-Vivaricensi, peculiari de lege Evangelica Dissertatione.

XV.

Sed ut ad rem iterum, a qua aliquan-  
 tisper dilapsus sum, redeam, species influxus  
 privativi causae moralis multum faciunt, ad  
 explicandam peccatorum omissionis naturam.  
 Reus ergo est huiusmodi criminis (1) qui mu-  
 tus est, cum esse non debebat. Sic ponamus,  
 dari Doctorem quendam Academicum, ad  
 quaevis studiosae iuventutis flagitia tacen-  
 tem, nulli dubitamus, quin peccati omissionis  
 postulandus sit, quia causa moralis eius-  
 modi delictorum est, quae proinde ipsi aequae  
 imputantur, ac si physice eadem commisisset.  
 Idem sentiendum, de Ministris Eccle-  
 siae, ad omnis generis scelera ab auditoribus  
 suis patrata conniventibus, quos idcirco ca-  
 nes mutos sacra adpellat pagina. Peccati o-  
 missionis coarguendus est (2) omnis non im-  
 pediens, quae impedire poterat & debebat.  
 Supremum penes Israelitas sacrorum Antisti-  
 tem Eli, ab irato Numine praecipiti multa-  
 tum esse morte 1. Sam. II. 22. seqq. relatum  
 legimus, eo quod nefarie actae improbo-  
 rum vitae filiorum, summis non obstiterit,  
 neque obniscus sit molitionibus. Fingamus  
 quoque, crimen aliquod grande a Titio esse  
 commissum, quod & poterat & debebat a  
 Caio impediri, cum factum non sit, imputa-  
 bitur.

bitur idem Caio, propterea quoniam aliquid intermisit eorum, quae ut omitteret ipsum non decebat.

## XVI.

Neque (3) a peccato omissionis liberari poterit, omnis tales non-manifestans res, quas celare non poterat neque debebat. Ruben quippe non plane immunis pronunciari poterit, a crimine venditionis Iosephi, abs maleferiatis fratribus susceptae. Praeterea erat causa doloris ac moeroris summi, quo. Pater Jacobus vehementer affligebatur, dum eundem quod poterat, manifestatione totius negotii, lenire ac tantum non extinguere nolebat Gen. XXXVII. Mente pariter complectamur atrox quoddam facinus, a Paulo patratum, quod commissum non fuisset, si Sempronius, prodita re, Pauli destinata animi consilia eluisset. Quid iam hoc de negotio dicendum? Nonne & Sempronius in criminis partem veniet? Utique! Peccavit & ille, quamvis nihil positive egerit. Aberrationem quippe a norma legis divinae, nocentissimum hocce innuit silentium.

## XVII.

Insigne etiam exemplum *ἀραξίας* in omis-

omissione actionis honestae consistentis, sup-  
 peditavit nobis benignissimus Redemptor  
 noster, in eleganti quadam parabola à Mat-  
 thaeo Cap. XXV. tradita. Dominum quen-  
 dam ibi repraesentat Servator mortalium iter  
 in peregrinas regiones terrasque parantem.  
 Vocabat is ad se servos suos, ut ipsis distribueret  
 opes ac facultates, in quarum administratio-  
 ne, isti, eo absente laudabiliter versari de-  
 berent. Pro libidine sua primo quinque, se-  
 cundo duas partes erat impertitus, tertio de-  
 nique unicam saltem dederat portionem.  
 Dominus simulac itinere feliciter emenso, do-  
 mum rediit, servos vocat ad reddendam de  
 bonis concreditis rationem. Duo ex illorum  
 numero, quoniam egregie partibus suis erant  
 perfuncti, laudibus praemiisque ornabantur.  
 Tertius vero, quia pecuniam in terra occul-  
 taverat, neque eadem quidquam erat lucra-  
 tus & vituperiis adficiebatur & poenis insimul  
 acerbissimis castigabatur. Sed quid mali  
 patraverat ille? Sibi concredita restituerat,  
 adeo ut Dominus nihil in summa pecuniae  
 potuerit desiderare, cur ergo reprehensio-  
 nem cur poenas merebatur? Causa istius rei,  
 facili potest dari negotio. Peccarat omit-  
 tendo aliquid, dum quam debebat & pote-  
 rat non impendit industriam. Non-agendo  
 contraxerat reatum, quoniam in mente  
 ipsius dabatur reluctantia, adversus promo-  
 tionem commodorum Domini & adfectata  
 F quae-

quaedam negligentia, uno verbo absentia amoris debiti reperiebatur, erga iudicem & Dominum, cui actiones suas moderandi ius erat perfectum.

## XVIII.

Ceterum eiusmodi delictorum uberrimam messem, tam Decalogus quam etiam quotidiana monstrant experientia. Quot enim vitiorum myriades ostendi non possent, si saltem ad tres influxus privativi in causa morali modos attendatur, ac illi ad utramque moralis tabulam legis adplicentur, quae in praesenti indicasse, atque sic pauca tantum, de praestantissima hacce materia delibasse sufficiet. Eximium vero longe prae aliis peccatorum omissionis exemplum nimia Theologorum lenitas est, cum officio eorundem elenchtico pugnans, atque debito non solum zelo (n) verum quoque immodico fervori (o) opposita. Vti enim praeposterus zelus in excessu ita pariter nimia lenitas in defectu pec-

(n) Confer hoc de argumento NITSCHII Mystam fervidum.

(o) Damna, quae ex immodico fervore in primitivam redundarunt ecclesiam, dilucide ostendit B. IOANNES HVLSEMANNVS in Commentatione de Iure & Moderatione correctionis fraternae p. 299. seqq. Idem peculiari de prudentia Oratione praestitit, cele-

berimus quondam Reformatorem in Academijs Heidelbergensi & Lugduno-Batava Theologus FRIDERICVS SPANHEMIVS filius inter alia sequentem in modum differens: Equidem sic sentio, non flagrasset tanta invidia Adamantius, nec eius causa tot Secula laborassent, non exisset in orbem universum Ariana haeresis, non partes fecisset cum suis Nestorius: non divisissent Orientem Paschales, vel Africam Baptismales controversiae: Si plus fuisset in Demetrijs, in Alexandrijs, in Cyrellis, in Victoribus, in Stephanis, a principio moderationis, nec quaesita illico deiectionum, proscriptio, anathematismorum medicina violenta. Multi errorem vel pressissent, vel revocassent, si traducti prout haereos accusacione, in qua Hieronymus neminem voluit esse patientem. Multi deseruissent causae vadimonium, si modo relicta in tuto dignitatis, fortunae existimatio. Neque dissimulabo exceptos, qui sic novaturerent, nonnunquam acerbius, saepe non confutatos sed confosos, non correptos sed proditos, saepe (prout tenet hoc insanabile multos) contentiois studio magis, quam veritatis, fide defensa, sed charitate subversa, desinente amore causae in odium personarum, defensione in offensionem, calamo in stylum, sale Christiano in Plaurinos sales, & causa publica in privatam, imo errore unius, qui obduci initio potuit, in communem totius Sectae, ex quo propalati invidiosius coepit. Hucusque doctissimus SPANHEMIVS. Neque ad evitacionem, multorum in tractacione controversiarum scopulorum periculi plenorum, legisse poenitebit elegantem IOANNIS CLERICI Dissertationem, de argumento Theologico ab invidia petito, utpote in qua scite satis tristes furentis Zeli in libris Theologorum effectus depinxit. Miscenda igitur ex mente GREGORII MAGNI cum severitate est lenitas, faciendum ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc

peccat. Equidem non desunt, illam ceu prudentiam quae vocatur Theologicam (p) vehementer commendantes ac impense praedicantes: at perperam illud ab ipsis fieri, sequens docebit Dissertatio.

## DIS-

nimirum illa Tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis Virga simul & Manna est, quia cum Scripturae sacrae scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtio sit & Manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim concutimur, & baculo sustentamur, si ergo est districtio virgae, quae feriat, sit & consolatio baculi, quae sustinet, sit itaque amor sed non emolliens! sit rigor sed non exasperans! sit zelus sed non immoderate saeviens! sit pietas, sed non plus quam expediat, parcens. Inveni libet in Mosis pectore misericordiam cum severitate sociatam, videamus amantem pie & districte saevientem. Haec GREGORIUS MAGNUS.

(p) Prudentiam ceteroqui Theologicam docent NICOLAUS VEDÉLIVS infensissimus Arminianorum Adversarius in libro de Prudentia Veteris Ecclesiae, SPANHEMIVS Oratione de prudentia iam supra a me laudata & DOROTHEVS SICVRVS a THOMAS CRENIO V. CL. in Dissertatione Epistolica de Singularibus Scriptorum Lugduni Batavorum A. 1705. in 8. edita p. m. 21. citatus peculiari de prudentia Theologica commentatione.

## TANTVM.

DISSERTATIO.

TERTIA.

DE NIMIA. THEOLOGORVM.  
LENITATE. CEV. INSIGNI. PEC-  
CATORVM. OMISSIONIS.  
EXEMPLE.

CONSPECTVS. DIS-  
SERTATIONIS.

- §. I. Traditur ingressus ex ultimis IA-  
COBI VSSERII verbis petitus.
- §. II. Verba VSSERII exponuntur, SMI-  
THI diligentia in enarranda Archi-  
Episcopi Armachani vita, laudatur,  
nec non argumentum Disquisitionis  
indicatur.
- §. III. Nomen lenitati Theologorum im-  
modicae a Sancto tributum Spiritu  
adfertur, non neglectis coloribus  
quos in commendationem vitii ad-  
hibent eiusdem amatores. Hinc  
in simul de aliis actionibus vitiosis  
splendido virtutum nomine ornatis  
praecipitur, mentione pariter inie-



Sta Religionis prudentum ac GODOFREDI a VALLE artis nihil credendi. Qua occasione de Religionis Christianae spontaneitate, ac Scriptoribus nonnullis eo spectantibus brevissimis agitur.

§. IV. Ostenditur teporem Theologorum, non esse prudentiam Christianis dignam, verum potius peccatum omissionis, in defendenda, veritate divinitus revelata deficiens esse vocandum.

§. V. Genus eiusdem traditur, ac de veritate differitur Metaphysica.

§. VI. Veritas Ethica & Logica expenduntur.

§. VII. Duplici DEVM modo semetipsum revelasse, adfirmatur, & in virtutem cadere excessum negatur.

§. VIII. Origo naturalis, nimiae Theologorum lenitatis in sanguineo pariter ac melancholico quaeritur temperamento.

§. IX. Demonstratur, ideo eandem non posse excusari; sed potius iniustam esse, adducto ex Matth. C. VII. com-

mate 15. probatur, cuius subiectum quoque explicatur.

§. X. Variæ verbi προσέχειν adferuntur significationes.

§. XI. Duæ ex illis ad locum Matthæi adplicantur acceptiones, addita statim eiusdem paraphrasi succincta.

§. XII. Reiiicitur eadem lenitas ex 2. Tim. III. 16. & 1. Theff. V. 21.

§. XIII. Idem urgetur negotium ex 1. Io. IV. 1. & Ep. Iudæe commate 3.

§. XIV. Exempla Ioannis Baptistæ, Christi & Pauli in contrarium adlegantur.

§. XV. Quibusdam occurritur obiectio- nibus. Ac denique.

§. XVI. Paucissimis adstruitur immodicam Theologorum lenitatem perniciosam & indecoram valde esse, atque sic Exercitationi imponitur

FINIS.

F 4 IESV.



## IESV. SECVNDANTE.

### I.

**E**Ruditissimus THOMAS SMITHVS Divinioris Disciplinae Doctor & Ecclesiae Presbyter Anglicanae refert, (a) illustriissimum atque reverendissimum IACOBVM VSSERIVM Archi-Episcopum Archanum ac totius Hiberniae Primatem longe eminentissimum morti vicinum, ultima haecce verba esse effatum: Condona mihi o Domine peccata mea omissionis. Profecto haut sine causa Praesul hicce gravissimus, omissionis peccatorum veniam a supremo rogavit Numine. Probe enim admodum habebat

(a) Confer vitam VSSERII a SMITHO scriptam p. m. 110. Primum illa occupat locum inter vitas quorundam eruditissimorum & illustrium virorum Scriptore Thoma Smitho coniunctim Londini A. 1707. in 4. editas. Sequuntur deinceps IO. COSINVS, HENRICVS BRIGGIUS, IO. BAINBRIDGIUS, IO. GRAVIVS, PETRVS IVNIVS, PATRICIVS IVNIVS & IO. DEVVS a saepius laudato descripti Smitho.

bebat perspectum & illa gravia valde esse, & non levi eadem laborare iniquitate. Quocirca onere istorum animam ad coelestia profecturam gaudia liberare est conatus, gratuitam precibus a Deo poscens huiusmodi errorum remissionem.

**II.**

Neque vero inde conicere licet ac si VSSERIVM nulla plane peccatorum a commissione trahentium nomen cura tetigerit, cum notissimum sit posito uno, non statim excludi alterum & SMITHVS ceteris eiusdem precibus omissis, ultima saltem eius verba adferre voluerit aut tantum potuerit. Moribundorum voces inprimis sapientum, magno alias gaudere praedicantur pondere, quod quidem de ultimis VSSERII precibus tam certum est, quam quod certissimum. Quam ob rem SMITHVS ut omnes in totum diligentis vitae scriptoris impleret numeros (b) easdem negligere nefas esse duxit. Habent quod imitentur cuncti mortales, be-

F 5 nignil-

(b) Laudantur ab eruditis MELANCHTONIS vita a CAMERARIO concinnata, PEJRESII a GASSENDO elaborata & IO. HENRICI HOTTINGERI a IO. HENRICO HEIDEGGERO scripta, Idem mereri praeconium, commentationem SMITHI vitae



nis Theologicae titulo superbire consuevit. Neque id mirum, quoniam cuncti generis peccata, eleganti virtutis velata veste, procos atque amasios sibimetipsis acquirere laborant assidue, adeo ut vel hinc sole meridiano clarior divinae virtutis elucescat praestantia, cum ipsa eidem opposita, ex illa lucem sibi quaerant vitia. Sane scortorum admodum similia esse videntur, aliunde petitis coloribus faciem quandoque satis deformem ornantium, quo eo facilius incautos decipiant mares. Sic Atheismus non esset inventurus sibi faventes homines, ni egregio plane vocabulo, cultus rationalis, ac ab omni prorsus superstitione cessam dedecente mentem remotissimae religionis (e) ornatus incederet. Universalis ferme ac hodiernum ubique regnum obtinens Scepticismus, qui etiam in pestilentem prorsus artem nihil credendi (f) degenerare videtur, passim prudentiae nomen valde honorificum meruit.

Super-

(e) Ideo quippe Athei prudentes & spiritus salutari cupiunt fortes, quorum tamen stulticiam RICHARDVS BENTLEY & THEODORVS VNDERBYCK peculiaribus bene ostenderunt sermionibus. Ad quoque IO. PETRVM GRVENENBERGIUM & FRIDERICVM ERNESTVM KETTNERVM singularibus de Religione prudentum Dissertationibus.

(f) GODOFREDVS a VALLE quondam artem nihil credendi scripsit, idcirco poenis ultricibus castigatus, quo iure, quare iniuria iam non disputo. Differ-



IV.

Eadem cum nimia Theologorum lenitate luditur fabula. Pingitur quippe & ista pulcro prudentiae Christianos, praecipue sacrarum Professores litterarum decentis, titulo. Ast tantum abest, ut prudentiae serpentinae, stabili cum simplicitate columbina iunctae federe, decorum mereatur nomen, quam animarum Sospitator nostrarum suis commendavit, ut potius diabolicae elogio astutiae mactari debeat. Sapientis itaque est, omnia probare, ac quod bonum est suadente Apostolo retinere. Probo etiam divinioris disciplinae cultori incumbit, lupum pellibus ovinis tectum, veris indutum crinibus, adscititiis, ac arte paratis, longius abesse iussis decoribus, cunctorum oculis spectandum sistere. Commodissime illud me quidem iudice fieri poterit, si prava monstri immanis indoles, aliquali delineetur descriptione. Quapropter nil quidquam à iusto veritatis tramite aberraturum me confido, quod si dixero: nimiam Theologorum lenitatem, esse

docendo & suadendo elicitur, non minis non vi, Coactus qui credit non credit, sed credere se simulat, ut malum viter. Qui mali sensu aut metu extorquere assensum vult, eo ipso ostendit argumentis se diffidere.

esse peccatum omissionis, in defendenda veritate divinitus revelata deficiens. Definitum esse lenitatem Theologorum, suis intra quos sese debebat continere limitibus egressam, quilibet vel me tacente videt, atque insimul citra difficultatem intelligit, cum lenitate Philosophorum inmodica, mihi nihil in praesenti esse negotii. Illud quoque sua patet sponte, tantum a me abesse, ut omnem prorsus animis Theologorum humanitatis aut mansuetudinis eximere studeam sensum, ut saltem extra oleas vagantem revocare adnitar lenitatem.

## V.

Profecto si quid unquam sacris praefectos muneribus decet, id ipsum mansueta est mens, quam propterea Servator suis adeo enixe commendavit, ut semetipsum exempli loco statuere non dubitaverit Math. XI. 29. Validus candelam nondum satis ardentem facile extinguit ventus, & iracunda nimis reprehensio, cum infirmitate luctans lumen fidei haut difficulter dissipat, quod alias leni flatu, magnum sparsisset de se fulgorem. Modum ergo saltem in rebus esse volo, ita ut neque nimio fervore ac zelo commissionis crimine animam polluamus nostram,

stram, neque immodica lenitate, omissionis peccato obnoxios reddamus nos-metipfos. Competit siquidem huic quem Spiritus Sanctus vocat tepori, definitio peccati omissionis, quoniam illicita eius quod fieri debebat intermissione, a regula praeceptorum supremi Numinis declinat. Versatur eadem vitiosa lenitas circa veritatem divinitus revelatam. Vbi notandum veritatis vocabulum *πολύσημον* esse, ac non una gaudere idipsum significatione. Si enim Philosophiae quae audit Primae consulamus scriptores, inveniemus, veritatem ipsis esse peculiarem quandam Entis sui adfectionem & quidem ceu amant loqui unitam, cum nulla reperiri ex eorum mente queat essentia, ad quam veritas propter eam qua gaudet latitudinem non pertineat. Veram quoque eius indolem, plurimi eorum in debeatate essentiae positam esse contendunt, quo ipso equidem barbaro fatis vocabulo, bene tamen nihilo secius indicant, illam rem veram ab ipsis salutari, quae convenientem sibi ac debitam habeat essentiam.

VI.

Morum Doctores pariter de veritate sunt solliciti ac elegantia de veracitate, tanquam

quam singulari officio (g) tradunt praecepta. Li praecipue qui ex limpidiſſimis PVFENDORFII fontibus ſua irrigarunt arva, bene monent, vi ethicae huius veritatis homines eſſe obſtrictos ad revelanda animi ſenſa ſui, ei, qui ius iſta ſciendi habet perfectum. Quam firmo plane nitentem fundamento doctrinam eo libentius adprobendam eſſe iudico, quoniam poſita eadem invictum prorsus moralitas falſiloquii poſſidet columen, facile alias collapſura, ſi veritas morum exrecepta veteribus ſententia in congruentia cordis & oris conſiſtere dicatur. Sed vocant nos ad ſe Rationalis Philoſophiae Cultores, itidem quandam veritatis commemorantes ſpeciem. Logicam vocant illam, atque in harmonia conceptus, cum re circa quam verſatur iſta mentis operatio, poſitam eſſe docent. Dividitur ea deinceps in naturalem & revelatam. Prior ex fonte rationis hauritur: poſterior vero ex divinae revelationis mari derivatur.

(g) Vnicam cum SENECA ni fallor Recentiores nonnulli ſtatuunt virtutem, eamque iterum in varii generis officia dividunt.

## VII.

Quaquam negligendum haut eſſe videatur,

deatur, duplici ratione supremum sese Numen revelasse, per naturam scilicet & scripturam, quorum unum gratiae generalis opus & primi de creatione articuli beneficium est, alterum autem speciali benignissimi rerum omnium Moderatoris favori suam unice debet originem, atque adeo ad tertium Symboli quod vocatur Apostolici caput non incommode refertur. Quando itaque nimiam Theologorum lenitatem in defensione veritatis divinitus revelatae deficere supra monui, ad veritates ex sacris petitas Oraculis digitorum intendi, quod obiter observasse factum erit. ARISTOTELEM sequentes morum Doctores cuilibet virtuti duo adiungunt vitia, ita ut alterum in excessu, alterum vero in defectu peccet. Hinc non immerito a sapientioribus disquisitum, an in virtutem cadat excessus & in illa homo nimius esse queat. Re adcuratius pensitata, est negatum, miseros mortales nimis virtute praeditis posse actionibus indulgere. Huic cur adstipulandum esse censeam sententiae, valentes abunde video rationes, nullas autem ex adversa parte reperio, quae ab eadem iure ullo possent abstertere. Nihilotamen secius non unius generis in virtute defectus quotidiana satis aperte monstrat experientia. Quam ob rem quoque salva veritate defectus de immodica Theologorum lenitate potest praedicari.

G VIII.

## VIII.

Huius vero quem vidimus, in causa religionis monstrosi admodum teporis, origo naturalis, tum in sanguineo: tum pariter in melancholico uti audit temperamento, facili invenitur negotio. Ii quippe qui salinarum in sanguine particularum copia abundant, comes ac urbani sunt, & odia mortaliū verentes, in tutanda coelesti etiam veritate, cuius valde mediocris ipsos tangit cura, iusto mitius procedunt. Praeterea cum laborum satis sint impatientes, inquisitione in momenta controversiarum abstinēt, eandemque veluti rem molestiae plenam cane peius & angue fugiunt. Inde est, quod ad Syncretismum quoque ac pacem Ecclesiasticam prae alius proni esse dicantur. Adhaec etsi ingenio excellant, non tamen multum iudicio valere deprehenduntur. Quare pericula, ex lenitate eorum nimia deinceps oritura, praevidere nequeunt, praesentibus saltem leviter intenti, de futuris vero profus securi, nihil plane illud vulgatum: Principiis obsta sero medicina paratur, curantes. Nimius pariter in Melancholicis reperiendus timor, multum hic nocet & non parum ad huiusmodi peccatum omissionis confert. Homines enim ab hac gubernati indole, indecenti impediuntur meticolositate, quo minus corruptoribus veritatis sese oppo-

oppo-

opponant, iisdemque ea qua decet animositate contradicant. Accedit, quod cum in excellenti prorsus memoriae fertilitate, sterili admodum instructi sint iudicio, neque hi incommoda ex sua lenitate oritura, mente queant praesentire. Contra naturale fundamentum (h) zeli modici cum debita copulati

G 2

leni-

(h) Dum de nimia Theologorum scribo lenitate, male prorsus, immo pessime agerem, si iustam proborum iram Antistitum adversus me accenderem. Idcirco notanter naturale tantum iusti fundamentum zeli, in hominis qua per naturam gaudet conditione quaesivi. Probe enim naturam & gratiam hoc in negotio discernenda esse arbitror, ne quod naturae est gratiae adscribatur, aut vice versa spectans ad gratiam naturae tribuatur. Gratia quippe si quid boni in natura reperiat, id non destruit, verum potius ceu summi Numinis donum, perficit, auget, roborat, eidemque incrementum largitur longe amplissimum. Eadem quoque salutaris DEI gratia malitiam naturalem pellit, & ex eadem bonum quid probe novit elicere. Hinc fieri videmus, ut ii qui per naturam ad zelum longe ineptissimi sunt, accedente Numinis auxilio apti reddantur ad defendendam cum *ωαρ-  
ρησία* veritatem divinam. Quapropter sola naturalis lenitas, mansuetudo spiritualis nequit salutaris, neque solus per naturam homini inhaerens fervor, DEO placens vocari potest zelus, cum à salutari unice Beatissimi Numinis gratia pendeat, ut mitis animi indoles mansuetudinis Christianae nomen mereatur, & firmus mentis vigor zeli spiritualis celsissimam indipiscatur adpellationem. A DEO quippe est, ut servus eiusdem non sit contentiosus, sed comis erga quemlibet, ad docendum aptus, malos te-



tium excusatione indignum, quoniam fomes omnium, miseris mortalibus a prima eorum origine inhaeret. Fluunt equidem ex temperamentis, hominum inclinationes, atque ex his iterum quaelibet peccatorum monstra generantur. Nihilotamen secius inter inclinationem & necessitatem sive coactionem, quae vox hoc in casu eidem videtur aequipollere, sat magnum intercedit discrimen. Gratia Numinis salutaris omnibus illuxit hominibus. Haec vero corrigit malitiam temperamenti. Quod ergo non omnes salutari huius favoris splendore collustrari se patiantur, habent, quod sibi non DEO imputent. Quam ob rem nimiam Theologorum lenitatem iniustam prorsus ac illicitam haut dubito pronunciare. Rationes adfertur ut conquiram non adeo sum laboraturus, cum eadem, quae pro moralitate Theologiae adduci solent Polemicae & hic magna vi militent. Posita quippe illa non potest non contrarium eiusdem omni prorsus excuti ac privari morum fundamento. Duplicis autem generis arietibus immodica Theologorum lenitas potest impugnari, partim dictis Scripturae contrariis, partim etiam legitimis eidem adversantibus exemplis. Primum inter Oracula sacri Codicis huc spectantia locum dabo celebri ipsius dulcissimi Servatoris effato Matth. VII. 15.

προέχεται ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν. Vocabulum Prophetæ in libris N. T. non præcise notat, facultate futura prævidendi præditum; sed aliquanto generalius capitur, ita ut quemlibet sacrum significet doctorem, circa scrutationem myfteriorum DEI legitima ratione versantem. Vide 1. Cor. XIV. 29. Immo Rom. XII. 6. vocabulum προφητείας omnem prorsus innuere de rebus divinis doctrinam iam pridem observarunt eruditi. Pseudopropheta itaque falsus est doctor. Tales erant sub initium nascentis CHRISTI ecclesiae Pseud-Apostoli (k) Paulo 2. Cor. XI. Gal. II. & Ioanni Apoc. II. notati.

(k) Erudita B. IO. GEORGHII NEVMANNI Praeceptio-  
sis etiam post fata Desideratissimi de Pseud-Apосто-  
lis veteri & recentiori Ecclesiae infensis extat Di-  
sputatio.

## X.

Ab eiusmodi cavendum sedulo esse monet Salvator, atque eo ipso, lenitatem finibus egressam suis detestatur, utpote qua manente facta tectaque, cavere sibi ab imposturis falsa docentium prorsus non licet. In fonte graeco vox προέχειν reperitur, quam ceteroqui magna gaudere emphasi quis nescit?

nescit? Tribus eadem pollet significationibus, quarum prima generalis est, reliquae autem speciales suo quodam iure vocari merentur. Generaliter si accipiatur, singularem plane mentis indicat attentionem in exquisitissima rei cuiusdam contemplatione defixae. Hoc sensu legitur Act. VIII. 6. de populo concionem Philippi summo cum studio audiente. Adcuratam obiecti alicuius ut cum Philosophis loquar considerationem, motiones voluntatis sequi solent, ita ut id, quod probe hactenus spectatum est, vel amore ac insigni cura complecti incipiamus, vel etiam illud odio ac averfatione prosequi haut dubitemus. Hinc mirum cuiquam videri neutiquam debet, vocem προσέχειν & hos strictiores includere significatus, adeo ut partim notet eximiam, qua in rem ferimur voluptatem, partim etiam gravissimum adversus illam odium & minime vulgarem istius abominationem significet. Prioris significationis vestigia reperire licet Act. XX. 28. 1. Tim. IV. 1. & posterioris fundamentum acceptionis Luc. XII. 1. facile est invenire.

**XI.**

Videtur itaque Servator sua de cavendis  
 sedulo

G 4

III

sedulo Pseudo-Prophetis ad primam & ultimam vocabuli  $\pi\rho\sigma\epsilon\chi\epsilon\iota\upsilon$  respexisse significationem. <sup>150</sup> Ac ad primam quidem digitum intendisse illum, vel ex eo patet, quia in subsequenter non perfunctoriam in falsos Doctores inquisitionem, ex qualitate fructus de natura arboris ferendo sententiam, commendavit, quae utique citra circumspectam totius negotii considerationem nequit peragi. Neque ultimam ab eodem esse neglectam, satis docet emphatica Pseudo-Prophetarum descriptio, lupos rapaces pellibus ovinis tectos esse illos, tradens, quos cauta admodum averfatione ac ausu plane impigro arcere, moles immensa secutorum alias periculorum iubet. Quapropter sequens quantum iudicio effati Redemptoris benignissimi emerget sensus: Nolite obiter falsos contemplari Doctores, verum potius paullo curatius damnum minime modicum spectare haut intermittite, quod negligentia vobis pariet. Aperite quaeso oculos mentis vestrae, ac si propria vobis salus curae cordique est penitius aliquanto pervidete magnitudinem calamitatis, qua Pseudo-Prophetae vos nimium securos, paullo quam decet mitiores & iusto leniores adficere possunt. Quare ceu pestem eos fugite, ac omne prorsus cum illis commercium respuite.

XII.

Vtinam dicto CHRISTI audientes forent seculi favorem captantes Theologi, quoniam sic longe rectius Christianorum sese habituri essent coetus. Ast illi profundo sepulti iacent somno, parum curantes vineam Domini, neque vulpeculas eandem turpiter vastantes aditu prohibere laborant. Vtinam illi Paullum audirent, ac doctrinam eius vita pulcre exscriberent sua. Hic quippe expressis 2. Tim. III. 16. verbis inter ceteros Scripturae usus *ἐλεγχον* refert, atque sic veterum oculis ipsorum excutere omni studet molimine. Magno utique conscientiam obstringit crimine, qui impedit, quominus verbum divinitus inspiratum, hanc salutarem plane convictionem ac imperterritam redargutionem exercere queat, quale quid a mitioribus iusto Theologis fieri, adeo certum est, ut nulla idipsum indigeat probatione. Sane eiusmodi hostium veritatis reprehensio ac laeta impugnatio commate subsequenti operis boni maectatur elogio. Cum vero cuncta actionis iustae intermissio mala sit, sole meridiano clarius dispalescit, cessationem quoque ab elencho, ubi ille exerceri debebat, peccati nomen mereri. Idem

G s

postu-

postulat officium Doctor Gentium 1. Theff. V. 21. Probate omnia inquit & quod bonum est retinete. Quidnam explorari cupiat in proxime praecedentibus tradit dicens: Spiritum ne supprimatis, neque prophetiam spernatis. Quemadmodum itaque annuli in catena arctissimo sunt copulati nexu: ita quoque tres hae adhortationes indivulso plane cohaerent federe, adeo ut hoc velle videatur: Non est Christiani, spiritum, Prophetiam sive doctrinam, quae eodem recidunt, extinguere, i. e. vi, non auditam, aut probe perpensam suppressere sententiam, eandem evellere, & semina istius elidere, quin potius officium fidelis CHRISTI adscclae est, in Prophetiam inquirere, utrum nempe cum essatis scripturae, analogia fidei & bonis moribus consentiat illa, eandem ad lapidem lydium Codicem nempe sacrum explorare, ac infallibili Oraculorum statera divinorum ponderare. Qua probatione facta, retineri vera debet, falsa autem ex adversa parte doctrina reiici.

### XIII.

Coecussit, qui hic iterum improbationem nimiae lenitatis clare satis non videat, rogandus idcirco, ut commendatum a Spiritu Sancto

Sancto Apoc. III. 18. collyrium quanto cius sibi comparet. Consona Paullinae adhortationi tradit Evangelista Ioannes 1. Ep. IV. 1. obtestans suos, ne cuius fidem habeant spiritui, sed potius probent Spiritus, utrum ex Deo sint. Eodem cum Paulo utitur verbo nempe *δοκιμάζω*, adcuratam metalli ad lapidem lydium, verumne an subiectum sit, explorationem notante, & credulitatem, mitioris iusto ingenii hominibus propriam, praelata ipsi diffidentia ceu audit prudenti, longe a Christianis abesse iubet. Immo tantum postulat in causa Dei fervorem, ut nequidem heterodoxos salutari velit doctores 2. Ep. 10. (l) Iudas Apostolus (m) praeterea classicum canit animos ad alacrem prorsus pro veritatis defensione inflammaturus pugnam. Adhortatur quippe ad decertandum pro

(l) Conferatur Dissertatio in h. l. Reverendissimi MAYERI quem honoris & observantiae causa nomino de non salutandis a fide deviiis Gryphiswaldiae A. 1707 habita ab Autore Respondente Viro Admodum Reverendo & Clarissimo IOANNE IOACHIMO HINTZIO iam Ecclesiae Vismariensium meritissimo.

(m) Vitam huius Apostoli praeter CAVEVM edisseruerunt HERMANNVS VVITSIVS Commentario in Epistolam eius & Vir. Maxime-Reverendus MICHAEL FRIDERICVS QVADIVS S. Theol. Doctor & Facultatis Theologicae in Academia Gryphiswaldensi, Adiunctus dignissimus, Fautor & Amicus meus colendissimus, peculiari Programmate A. 1711. edito.

pro semel tradita sanctis fide (n), quod etiam ex Apocryphis Syracides requirit Syr. C. IV. 32.

(n) C. 3. Vide H. VVITSIVM in h. l.

## XIV.

Bonum hoc certamen omnes semper certarunt boni, ac cordatis viam ostenderunt Theologis, qua ipsis esset eundum. Praecursorem Servatoris nostri, Ioannem puto Baptistam, si intueamur, Eliae sancto fervore aestuantem deprehendemus. (o) Modo enim Phariseos, Sadducaeosque, viperarum adpellat progeniem Matth. III. 7. (p) Modo Herodem propter ereptam fratri uxorem increpat Matth. XIV. 4. Ipse pariter Salvator egregium veritatis divinae egit vindicem,

(o) Est quippe promissus a Malachia Elias C. IV. 5. ceu ex verbis Angeli nativitatem eius annunciantis patet Luc. I. 16. Hinc etiam Christus Math. XI. 14. expressis illum verbis vocat Eliam, quamvis non adprobet a PYTHAGORA in suis quas habuit scholis traditam & a Iudaeis praecipue Phariseis nec non inter Christianos iuniore HELMONTIO defensam  
μετεμύχων.

(p) Vide hic PETRVM KEVCHENIVM in Annotatis in Matthaeum p. m. 16. 17.

dicem, plus simplici vice acriter cum Iudaeis conflictatus, testante ubivis historia Evangelistarum. Idem universa Divi Paulli innuit ac haut obscure ostendit vita (q) alios in praesenti ut taceam. Putidum quippe nimis videretur, in re manifesta, operose si conquirerem argumenta.


(q) Consuli meretur H. VV. TSIVS in Meletematibus Leidenfibus de vita & rebus gestis Paulli Apostoli.

## XV.

Sed audio mihi occinentes lenitatis Patronos: Esaiam C. XLII. 4. mansuetudinem Christi elegantibus depinxisse verbis. Hanc ergo Theologis praecipue imitandam esse. At frustra haec ab iis in medium adferuntur, siquidem pro diverso quod aiunt obiecto & fervore & lenitate pariter opus est: lenitate erga perterritas valde conscientias, fervore autem ac debito zelo adversus refractarios & veritatis divinae contemptores aequae ac corruptores. Neque verba Paulli Rom. XIV. 4. ipsis quidquam profunt, cum de rebus adia phoris ibidem sit sermo & iudicium saltem temerarium prohibeatur. Nulla quoque cum dispendio veritatis inter Christianos sit charitas, commendante haut praeter rem Apostolo τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ Eph. IV. 15.

mul-






## PHILOSOPHVM.

MODESTVM.

PAVCIS.

DESCRIPTVM.



IESV. SECVNDANTE.

I.

**V**ulgares etiam morum Doctores, multa passim de modestia praecipunt haut contemnenda, cum sola raritas, fundamentum praestantiae unicum neutiquam sit adpellandum. Communis omnibus est Solis splendor, idcirco tamen nullius adamantis exquisitissima arte parato cedit fulgori. Rarus equidem per Benignissimi Numinis gratiam non est panis, nihilosecius vero sua qua pollet vi, humanum alendi corpus, omnes Orientis pariter atque Occidentis opes, multis cum sumptibus nec minoribus molestiis ad nos exportatas, longe superat,

rat. Male propterea etiam agerem, si in vulgaribus libris reperiendam fundamentum gaudentem de modestia doctrinam adspicerer.

MODESTIA

II.

Dicitur vero illa versari circa expetendos cum ratione ac fugiendos pariter honores modicos. Alio nomine humilitas vocatur a Servatore dulcissimo cunctis plus simplici vice commendata Christianis. Ipse est lilius in valle Cant. II. 1. Hinc suum in imitationem proposuit exemplum Matth. XI. 29. Vita Christianorum cum navigatione admodum scite potest contendere. Seipsum itaque Phari loco esse voluit Redemptor benignissimus. Montes ut plurimum steriles esse solent, vallibus ex adversa parte frumenti copia luxuriantibus, & superbia in sublime erecti hominum animi, nullos plane DEO placentis vitae aut poenitentiae salutis possunt ostendere fructus. Arbor si ad nubes frondibus ornatum efferre debeat caput, ut profundas valde in terra agat radices necesse est, & legitima ratione cupiens exaltari in stabili humilitatis radice, fixam habeat mentem. Superbis namque resistit Numen, humilibus autem liberalissime suam dispensat gratiam 1. Petr. V. 5.

III.

## III.

ARNOLDVM vero GEVLINGIVM  
 consulentes, veri nominis humilitatem par-  
 tim inspectione, partim despectione sui to-  
 tam absolvi audiemus. Profecto notitia sui  
 ipsius praestantissima, summe-necessaria &  
 adprime utilis est scientia. Ac dignitas illius,  
 vel ex eo, ceteris aliquantisper ne in cen-  
 sum veniant remotis, clarissime omnium pa-  
 tet, quod eruditissimi, iique non insipientes  
 Viri dignum eandem arbitrati sunt argumen-  
 tum, ad cuius expositionem magno conflue-  
 rent numero. Cognitionem morbi multum  
 ad eisdem valere profligationem, probe no-  
 runt artis quae vocatur salutaris periti. Sum-  
 ma quapropter notitiae sui ipsius est necessi-  
 tas, quia probus quilibet, perspecta morbi se  
 vexantis natura, primo quoque tempore, de  
 salubribus adversus illum remediis, mature  
 parandis, saluberrimas suscipit cogitationes.  
 Vnde etiam plane eximiam eius utilitatem  
 licet colligere. Cum vero pulcra difficilia  
 pariter sint, mirum videri haut debet, hanc  
 etiam suis ipsius cognitionem non levi labora-  
 er difficultate. Oritur illa imprimis ex phi-  
 lautia, vi cuius equidem festucam sat par-  
 vam in aliorum videmus oculis, ingentem  
 vero in propriis luminibus trabem non anim-  
 advertimus Luc. VI. 41.

H

IV.

## IV.

Inspectionem sui in vera humilitate sequitur indivulso nexu suimetipsum despectio, ut quo maiores sumus, eo submissiores nos geramus Syrac. III. 19. Ita quippe demum se esse modestum aliquis demonstrat, quando quo magis laudes est meritus, eo molestius earum fert commemorationem. Tali quoque ratione suipsum committitur abnegatio a CHRISTO in veri nominis Sectatore suo ardentissime desiderata. Quemadmodum itaque Christianorum quemvis, DEO placens humilitas ac modestia decet: ita pariter illa insigne prorsus hominis Philosophi est ornamentum. Quo rectius enim ille, perfectiones aequae ac imperfectiones in hominis natura reperiundas, nosse potest: eo exquisitiori opus habet modestia. Hinc dum modestum paucis depingere Philosophum animus est, sequentem modestiae eidem debitae placet praemittere descriptionem, qua officium hominis sapientiae studio dediti esse dicitur, vi cuius ille mediocriter de divinitus sibi concessa ratione sentit, neque eadem proinde sacra irreverenter tractat; sed potius rationis in mysteriis Christianae Religionis coecitatem & *advantiam* nec non in rebus ad suam spectantibus sphaeram infirmitatem lubens atque haut invitus adgnoscat.

V.

V.

Vbi officii vocabulum non notare munus aliquod; sed potius actionem hominis moralem, etiam tironibus notum est. Sciunt quippe illi CICERONEM, AMBROSIVM, PVFENDORFIVM, BEBELIVM, SCHARROCKIVM, alios, hoc sensu de Officio scripsisse. Norunt quoque isti, alia esse officia hominis, alia civis, alia denique Christiani. Nostra quam describimus modestia officium hominis sapientiae studio dediti salutatur. Ante tempora PYTHAGORAE, sacris litterarum penes Graecos operantes Sophorum nomine indicabantur, quam deinceps adpellationem, nominatus modo sapiens, cum modestiori Philosophorum cognomine, commutavit. Pla cuit istud in hodiernum usque diem cultoribus artium ceu audiunt liberalium, etsi FRANCISCVS MERCVRIVS ab HELMONT praelatum ipsi velit scrutatorum veritatis nomen satis honorificum.

VI.

Illustris EHRENFRIED VVALTHER de TSCHIRNHAUSEN, inauditam antea quantum mihi constat, in scenam produxit Philosophorum divisionem, alios nominales

.IIV

H 2

vocans,

vocans, alios historiales adpellans, alios denique reales nominans. Quam utrum cordati sint admissuri iudices certo adfirmare nequeo. Illud tamen dicere haut erubesco, nominales quos vocat, solis terminorum crepundiis puerorum instar ludentes, ac praeterea nil scientes, indignos esse qui pulcro amatorum sapientiae veniant nomine. Contra historiales ceu adpellat, realibus adeo rigide contradistingui debere non putaverim, certo certius persuasus adcurata historiae uti audit Philosophicae notitia instructum, non contemnendo rerum gaudere thesauro, etsi nullas antea ignotas invenerit veritates. Sane non minor ad partas cum laude tuendas diligentia requiritur sententias, quam easdem primo manifestandas. Absit ergo a nobis, ut Philosophos antiqua exponentes fusius, vetera tradentes dilucidius & tradita a maioribus contra insultus aliorum confirmantes ac defendentes, nudo historialium Philosophorum vocabulo compellemus. Horum enim assidua prorsus opera, eruditus si caruisset & etiamnum careret orbis, vix uni aut alteri Realem se iactanti Philosophum, licuisset novas uti gloriatur invenire veritates. Quidquid tamen huius sit, ea mihi iam nil nocent, cum generatim Philosophi in rebus ad Religionem & in primis ad Philosophiam spectantibus describam humilitatem ac modestiam.

## VII.

Cum vero supra Philosophum hominem sapientiae studio incumbentem salutaverim, haut immerito observandum esse videtur, sapientiae vocem mihi in rigore Aristotelico non sumi, quo habitus mentis theoreticus est, neque etiam attendi Scholasticorum sapientiae divisionem, qua aliam dicunt esse primam, aliam vocant secundam, & aliam vicissim mentis opera, ab utraque tum primam tum secunda separatam volunt; sed paullo generalius capi, ita ut congeriem omnis ex fonte rationis derivatae cognitionis notet. Hoc itaque volo, peculiarem, in Philosophum considerationi rerum scitu dignarum indulgentem, cadere obligationem, vi cuius ceu morali vinculo ad mediocriter de concessa sibi divinitus ratione sentiendum, adstringatur. Generalibus officium hocce verbis inculcat Gentium Doctor Rom. XII. 16. inquit: *Μη τὰ ὑψηλὰ φρονῶντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι.*

## VIII.

Natura miseri mortales, qua homines fibimet invicem aequales sunt. Cuncti corpore a Supremo Numine admodum scite elabo-

H 3

borato

borato gaudent, rectore eidem praefecto mente immortalis. Eadem illis contingit origo, singulis simili plane modo aura vitali incipientibus vesci. Eadem quoque finita in terris fabula, mundo exeundi necessitas omnibus incumbit. Quare citra causam & absque omni profus iure aliis praestare adfectans, odii pleno superbi mactatur nomine. Tali ratione idem homines sentire nequeunt. Lapis nimium hiulcus, nulli apto inservit aedificio, & vana sui opinione turgida mens, legitimae nequit esse membrum societatis. Hinc Paullus: Nolite de vobismetipsis elate sapere, sed humilibus potius obsecundate. Aedes ad sidera usque superbum tollentes caput, citius procellae experiuntur iniurias casa humili, & procera quercus validiorem tonitru vim sentit spinis terrae propinquis. Vno verbo: Tolluntur saepius in altum miseri mortales, ut lapsu graviori ruant.

## IX.

Qui ergo modesti nomen Philosophi cupit tueri, eo in primis debet adniti ut ratione a DEO sibi data impotenter non gloriatur, haut immemor istius Paullini 1. Cor. IV. 7. Quid habes o homo, quod non acceperis, si vero accepisti quid gloriaris? Haec autem a Numi-

Numine Beatissimo concessa ratio modo solum notat intellectum, modo facultatem intelligendi una cum voluntate indicat. Prior acceptio huius loci est. Nam solo intellectu quemadmodum veritatem concipimus, ita etiam haut raro falsa ferimus iudicia. Quale quid pariter contingit, quando praestantia intellectus nimis aestimatur, etsi negandum non sit voluntatem quoque multum ad generationem praeiudicatarum, quae vocantur opinionum conferre.

X.

Praeiudicia quippe nil aliud quam iudicia mentis infirma sunt, atque adeo ceu morbus quidam intellectus, cui Logica mederi debet, spectari possunt. Oriuntur illa, tum ex nimia confidentia, tum etiam limites supergressae diffidentiae originem debent suam, indicio sane gravissimo, a voluntate, cui confidentia cum diffidentia inhaeret, eorundem ansam & occasionem suppeditari. Quo ipso tamen FRANCISCO MALEBRANCHIO, IOANNI NORRISIO, aliis, non adstipulor, neque iudicium voluntati attribuo; sed saltem intellectum, a voluntate, ad generationem praeiudicatarum ceu adpellantur opinionum excitari, easdemque ab ipsa confirmari statuo.

H 4

Dum

Dum itaque volendi facultas, valde post lapsum corrupta, intellectum impedit, quominus dextre queat cogitare ac iudicare, eandem pariter ad generationem errorum, valere multum quilibet me tacente videt.

## XI.

Noctua splendidissimum Solis iubar ferre nequit, ac debilis nostra mens prorsus est inepta, ad fulgidissimum splendorem mysteriorum Christianae Religionis videndum oculis obscurae rationis. Sed negant hoc certatim Philosophi ceu vocari merentur immodesti & Rationalistae blasphemarum atque impiarum assertionum Parentes, quibus Revelationi Scripturae, Christianae Religionis, nuncium mittitur, aut quibus Medicina Mentis tota intra hominem quaeritur, ac Religio ex cuiusque ingenio vel libidine fingitur, Ratione una duce quam vocant, ac norma illis suprema. Adeo ut nihil deinceps excogitari possit informis & monstrofi, nihil etiam excogitatum sit aut protrusum ab Atheis blasphemis, a Scepticis dubiis, a Iudaeis in Christum iniurii, a Gnosticis vel Manichaeis impii, a Libertinis flagitiosi, ab Epicureis profani, a Fanaticis portentosi, ab amentibus & deliris vesani, quod non aetas haec nostra recoxerit, atque in lucem exire infortunata iusserit. Ita scalas sibi ipsi deinceps erigit nasutulus quisque, quibus in coelum ascendat, si modo coelum extra terram quaerunt,

runt, Divina metientes ex Ideis quas sibi ipsis formant, ac suae sibi Religionis auctores & salutis, ceu gravissime conquestus est FRIDERICVS SPANHEMIVS Filius in Elencho Controvers. p. m. 622. seq.

## XII.

Grande enim ac diabolicum prorsus ambitionis vitium, (a) ita universum quaqua patet illud pervasit genus humanum, ut non solum in celsa Maiestatis sede constitutos Principes (b) periculi pleno hocce videamus laborare morbo, verum etiam miseros valde Philosophos (c) rabie hac pestilentissima, in trans-

H 5 versum

(a) Vocabulum Ambitionis duplici praecipue capitur ratione. Partim quippe inclinationem cholericam propriam temperamento notat, partim vero vitium ex eiusmodi propensione fluens indicat. Fundamentum utriusque potissimum in cholericam quaerendum est corporis constitutione, quamvis triplex possit constitui ambitio, ita ut decora ad cholericam, vana ad sanguineam & plane ridicula ad melancholicam spectet sanguinis humani crasin.

(b) Exempla Principum ambitionis oestro percitorum innumerabilia ferme sunt. Nominare saltem in praesenti licebit IVLIVM CAESAREM, ALEXANDRVM MAGNVM, CAROLVM Vtum, LVDOVICVM XIV. alios.

(c) Ambitio Philosophi est vitium hominis, vana sapientiae opinione turgidi ac tumidi, quo ille corrupta

versum agi conspiciamus. Quorum furorem, uti si Numen Beatissimum vires vitamque concesserit, in iterata Disquisitionis meae de cultu Dei Rationali ex Rom. XII. 1. succincte descripto editione, sufficienter pro viribus reprimere non intermittam: ita pariter satis laudare non possum observatione dignum illustri CARTESII effatum (d) quo Philosopho in primis modestiam circa sacra vehementer commendavit, idcirco etiam GERARDO de VRIES, acerrimo alioqui tum ipsiusmet Cartesii, tum sequacium eius Censori adeo gratum, ut idem satis proluxa de Officio Philosophi circa revelata Exercitatione haut dubitaverit

per lapsum ratione turpiter abutitur, vel ad explicanda perperam credenda, vel etiam ad illa penitus conculcanda, vel saltem in aestimanda nimius est scientia quae datur humana.

(d) Reperitur illud P. I. Principiorum Phil. Art. LXXVI, & sequentis est tenoris: Praeter cetera autem, memoriae nostrae pro summa regula est infigendum, ea quae nobis a Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda: Et quamvis forte lumen rationis, quam maxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen auctoritati divinae potius, quam proprio nostro iudicio, fidem esse adhibendam: Sed in iis de quibus fides divina nihil nos docet, minime decere hominem Philosophum, aliquid pro vero adsumere, quod verum esse nunquam perspexit, & magis fidere sensibus, hoc est, in consideratis infantiae suae iudiciis, quam maturae rationi. Hucusque CARTESIVS, Alia eiusdem loca huc spectantia adtule-

verit exponere (e) Vtrum vero ipse Cartesius, quod tradidit axioma adcurate semper obser- uaverit, probe consideranti quae in utramvis partem a Gerardo de Vries (f) & IACOBO GVSSETIO (g) hac de re sunt disputata, am- plius obscurum esse neutiquam poterit.

### XIII.

Neque solum in rebus Theologicis mo- destia Philosophum decet, verum quoque ea- dem in negotiis ad forum spectantibus pro- prium instructus sit necesse est. Postulat quip- pe illam uberrima debilitatum rationis seges, a Rationalis Philosophiae Scriptoribus passim explicata. Quis quaelo inter miseros repe- ritur

runt, VRIESIVS Dissertatione laudata & GVSSETIVS in praelectionibus de viva mortuaque fide Amsteloda- mi 1696. in 8. editis & quidem praelectione prima prooemii vices sustinente p. m. 13. & 14.

(e) Invenitur illa in Philosophematibus doctissimi Au- toris Miscellaneis p. m. 473. Confer eundem in Exer- cit. Rat. Exercit I. §. VIII. p. m. 8. seq.

(f) l. cit. Exercit. XXIII. de Deo creante §. XI. XII. & XIII. p. m. 128. seqq.

(g) Vide eius Dissertationem Philosophicam, ostenden- tem Cartesianum Mundi Systema, non ut quidam existimant periculosum esse, quae adiuncta est prae- lectionibus de viva atque mortua fide supra adlega- tis.

ritur mortales, etiam illos qui litteris suam excolere ac indies perficere mentem vehementer laborarunt, qui non in varii generis rerum scitu dignissimarum versetur ignoratione? Quotusquisque est cuius animum falsa ac erronea in transversum non agat sententia, quotidie labentibus fere singulis ac turpiter modo in hac modo in illa re errantibus. Videatur elegantissima GEORGII MACKENZEE de infirmitate ratiocinationis humanae commentatio. Quid vero aliud in liberali ac ingenuo homine consideratio imbecillitatum, quibus scetet, quam modestiam & submissionem generare ac excitare valet?

#### XIV.

Praecipue autem in Physica rationis licet animadvertere imbecillitatem, ceu egregie Phoenix Physicorum ROBERTVS BOYLEVS in Physico Sceptico & peculiari de excellentia studii Theologici prae Physico scriptione dedit evictum. Maneat itaque Philosophiae Naturali debita praestantia utilitas atque iucunditas, quam ex Recentioribus doctissimi viri CLERICVS (a) ANDALA (b) & FON

- (a) Conferatur eiusdem Coronis de utilitate Physicae.  
 (b) RVARDVS ANDALA Phil. Doctor & Professor in Academia Francouerana A, 1709. Francuerac in 4.

FONTENELLIVS (c) eidem adscribunt: nihilo tamen fecius tantum abest, ut scientiae si accurate loqui velimus, eandem nomine compellendam esse arbitrer, ut potius Syntagma opinionum partim probabilium partim possibilium (d) illam vocari debere existimem, fretus rationibus a celeberrimo IOANNE CLERICO in praefatione Physicae (e) quam scripsit praemissa adlatis.

XV.

edidit Exercitationes Academicas in Philosophiam primam & naturalem, in quibus Philosophia Renati des Cartes clare & perspicue explicatur, valde confirmatur, nec non solide vindicatur, ceu ipsemet Autor in inscriptione Operis gloriatur. Praemissa est Exercitationibus hisce Dissertatio eiusdem inauguralis, qua Physicae praestantiam, utilitatem & iucunditatem praedicavit.

(c) FONTENELLIVS Parisi A. 1708. in 12. gallico idio mare historiam instaurationis Academiae Scientiarum Regiae, & elogia Sociorum Academiae, qui ex eo instaurationis tempore mortui sunt, edi curavit, & scriptioni praefamen de utilitate Mathematicum & Naturalis Philosophiae praemisit.

(d) THEODORVS SANTIVOORTIUS in Dissertatione Philosophica de causa motus & principiis corporum solidorum probabilitatem cum possibilitate miscuit. Hinc RVDIGERVS in praefatione ad Philosophiam Syntheticam discrimen inter utramque reperit ostendit. Quo in negotio ad sensum ipsi praebet ROBERTVS BOYLEVS in Excellentia Theologiae cum Naturali Philosophia comparatae p. m. 29. Versio is Germanicae. Halis A. 1708. in 8. editae.

(e) Iuivius valde in elegantissimam hanc CLERICI

## XV.

Equidem mechanica (a) philosophandi  
methodus quae in rebus ceu vocantur natura-  
libus

scriptionem est RYARDVS ANDALA in commenta-  
tione supra adlegata, dum eandem cum aedificio  
carente fundamento contendit, Polyhistorum Bata-  
vum plagii accusat ac philosophiam eius variarum  
postulat contradictionum. Nimia vero nominis Car-  
tesiani admiratio doctissimi Andalae mentis oculos  
adeo excoecavit, ut praeter fastu plenam Cartesianorum  
Physicam, nulla modestiae laudibus sese com-  
mendans ipsi placeat Eclectica philosophandi ratio.

(a) Elegantem V. CL. IOANNES ERDMANNVS DA-  
SCHIZKIVS de Mechanismo Corporum naturalium  
scripsit Dissertationem. Peculiaris quoque PVR-  
SHALLI de Mechanismo Macrocosmi extat scriptio  
in nonnullis a FERDINANDO ERNESTO Comite  
ab HERBERSTEIN & SALOMONE DEYLINGIO  
reprehensa. BOERHAAVIVS pariter Medicus Lei-  
denensis Orationem de Vsu ratiocinii Mechanici in Me-  
dicina edidit. Quemadmodum autem in humanis re-  
bus nihil datur ab omni parte beatum: ita nec mi-  
serandum valde est, varios subinde in satis bonam hanc  
arcae naturae eruendi methodum irrepsisse abu-  
sus. Generatim eius vicem propterea doluit vir ce-  
leberrimus Dn. IOANNES HENRICVS HEVCHE-  
RVS doctissima de Mechanicis nou Mechanicis Dis-  
sertatione. Adde huic ex Additamento Observatio-  
num latinarum Hallensium Animadversionem pri-  
mam de usu & abusu Mechanismi in corporibus ani-  
mantibus praecipientem, ut in praesenti SIROEMII  
& SNEELLI de utilitate & damno ratiociniorum me-  
chanicorum scripta taceam Eristica.

libus (b) hodie invaluit & regnum ferme  
 ubivis obtinuit (c) melior est a sylo occultarum  
 quemadmodum audiunt qualitarum, nihilo-  
 tamen minus etsi eadem quotidie perficiatur,  
 multa in Physica manent occulta, & plurima  
 etiam manebunt abscondita. Hinc ROBER-  
 TVS BOYLEVS in Cogitationibus de Stilo  
 Scripturae p. m. 66. seq. Vers. Germ. Halis A.  
 1708. in 8. typis excusae. So ist vieles/  
 davon zwar alle bekennen müssen/ es mö-  
 ge gar wohl durch das Licht der Natur  
 ohne Behuff der Offenbahrung erkannt  
 werden/ und ist dennoch unserm schwachen  
 Verstande so schwer zu begreifen/ daß an-  
 noch gar sehr viel Undeutlichkeit überblei-  
 bet/ wenn es auch gleich mit den aller-  
 Deut-

Deut-

(b) Ad res etiam non naturales methodus haec est ad-  
 plicata a IEREMIA VVAINEVVRIGHT peculiari Di-  
 scursu Mechanico circa res non-naturales Londini  
 A. 1708. anglico idiomate edito.

(c) Nonnullis tamen Physicorum chymica placet meth-  
 odus ex quorum numero censeretur DANIEL  
 DVNCANVS Medicinae Doctor in alma Monspelien-  
 sium Vniversitate, nec non eiusdem Facultatis Pro-  
 fessor in Berolinensi Gallorum profugorum Acade-  
 mia, utpote qui Chymiae naturalis specimen Hagae  
 A. 1707. in 8. edidit, quo demonstrare conatus est,  
 nullum in Chymicis processum fieri officinis, cui si-  
 milis aut analogus in animalis corpore non con-  
 tingat.

deutlichsten Worten vorgetragen wird. Und so hat zum Exempel noch kein Scribent in der Philosophia Naturali die Natur des Ortes und der Zeit/den Ursprung des Motus, und die Art und Weise wie die menschliche Seele ihre Geschäfte verrichtet in den Körper/deutlich vortragen können/dass die Untersuchung kluger und gelehrter Leser nicht noch einige Dunkelheit bey solchen Sachen angemercket hätte.

## XVI.

Plurimae itaque in Philosophia dantur  
 ideae obscurae, etsi claras & distinctas ubivis  
 ferme crepent CARTESII ad seclae. Quod si  
 enim quis vel aliqua saltem ex parte Philo-  
 sophiam lustraverit Cartesianam, obscurum  
 ipsi amplius esse nulla ratione poterit, dua-  
 bus his adsertionibus, quarum altera exten-  
 sione totam corporis naturam, altera vero  
 cogitatione universam Spiritus essentiam ab-  
 solvi statuitur; totam ferme contineri Carte-  
 sianorum philosophiam. Fingunt Poëtae  
 Atlantem excelsum valde montem spatiosam  
 suffulcire coeli machinam. Idem salva veri-  
 tate de binario recensitarum modo sententia-  
 rum

rum dixeris, eodem nempe univerſam quaqua  
 patet ſuſtineri a CARTESIO nomen inde-  
 ptae philoſophandi rationis molem. Diſ-  
 ſertatione de ſpiritualitate DEI FRANCI-  
 SCO CVPERO oppoſita utriuſque adfertio-  
 nis infirmitatem oſtendi, ac eos pariter lau-  
 davi Autores, qui idem mecum volverunt  
 ſaxum. In praefenti ſaltem quantum ad men-  
 tem attinet humanam (a) monuiſſe ſufficiat,  
 doctiſſimos viros LOCKIVM, VRIESIVM,  
 CLERICVM, ROSTEVSCHERVM, GRVB-  
 BIVM, MAVBECCIVM, alios, erudite oſ-  
 tendiſſe, unica cogitatione neutiquam men-  
 tis totam contineri naturam. Aliam tamen  
 ab his iniiit viam illuſtris BERGERVS men-  
 tis rationem in cogitatione poſitam eſſe con-  
 tendens, quia ſola cogitatio cum illa con-  
 verti atque ab eadem divelli nullo modo  
 queat. (b) Aſt perperam! quod pace docti-  
 ſſimi dixiſſe liceat viri. Tali quippe ratione  
 & canis eſſentia in latrabilitate & hominis  
 natura in riſibilitate eſſet ponenda, cum u-  
 I traque

- (a) HENRICVS REGIVS eſſi L. V. Phil. Naturalis C. I.  
 p. 399. CARTESII primum cognoscendi principium  
 nempe  $\tau\theta$  cogito, ergo ſum reiiciat p. 419. ideas in-  
 natas conculcet & pag. 422. ſeqq. argumentum ab  
 idea Dei innata petitum enervet: tamen pag. 398.  
 exiſtimat naturam mentis humanae, in ſola cogita-  
 tione conſiſtere. Adeo ſententia haec aridet etiam  
 iis, qui alias Cartesium non ſimpliciter ſequuntur.
- (b) In *Phyſiologia Medica* L. I. C. II. p. m. 2.

traque tum de cane, tum etiam de homine  
 convertibiliter enunciari, & ab iisdem di-  
 velli nulla queat ratione. Quidquid vero  
 eius sit, nihilominus cogitationem praeci-  
 puum aliquod mentis attributum voco, &  
 idcirco eandem ab eximia quadam partim  
 proprietate (c) partim operatione cogitan-  
 tem vocari posse arbitror. Sed scribendi fi-  
 nem facio, existimans commentatiunculam  
 hanc & Appendicis Opusculi mole satis exi-  
 gui, nomen & Delineationis succinctae Phi-  
 losophi modesti adpellationem, iam dum pos-  
 se tueri. Fusius eandem Deo volente, in cu-  
 ris secundis extendere haut sum pigriturus.

(c) Propterea tamen cum illustri BOYLEO animae  
 essentiam in facultate semper cogitandi positam esse  
 statuente pag. 46. scriptionis eruditae de excellentia  
 Theologiae cum Naturali Philosophia comparatae,  
 non facio, cum merito mihi ducam religioni, acci-  
 dens substantiae essentiam vocare.

SY-

## SYNOPSIS.

DELINEATIONIS. SVCCINCTAE.  
PHILOSOPHI. MODESTI.

§. I. De Modestia generatim bene praeci-  
piunt etiam vulgares morum Doctores. §. II.  
Alio nomine vocatur humilitas, Christianis  
impense a servatore commendata. §. III. In-  
spectio sui, modestiae pars prima est §. IV.  
Despectio sui, eiusdem pars altera. Mode-  
stia Philosophi describitur. §. V. officium h.l.  
quid? FRANCISCI MERCVRII HEL-  
MONTII nomen Philosophorum quale? §. VI  
TSCHIRNHAVSII. divisio Philosophorum;  
in nominales, historiales & reales. §. VII.  
Sapientia quid h.l. §. VIII. Locus Pauli Rom.  
XII. 16. explicatus. §. IX. Philosophus mode-  
stus non debet gloriari ratione divinitus sibi  
concessa. §. X. Praejudicia quid? Origo eo-  
rundem quae? §. XI. FRIDERICI SPAN-  
HEMII Filii verba de Philosophis ambitiosis  
& immodestis. §. XII. Ambitio varii ge-  
neris est. Ambitio Philosophica quid? Re-  
gula CARTESII de Officio Philosophi circa  
reveleta, egregia est, quam ipse tamen non  
semper observavit. §. XIII. Magna datur se-  
ges imbecillitatum intellectus. GEORGIVS  
MACKENZEE laudatus. §. XIV. Praecipue  
in Physica imbecillitatem rationis licet ani-  
madvertere, Hinc eadem non est scientia;  
sed

sed potius Syntagma opinionum partim probabilium partim possibilium. §. XV. Philosophia Mechanica non destituitur & commodis & incommodis suis. §. XVI. Plurimae dantur in Philosophia ideae obscurae e. gr. corporis, Spiritus & mentis humanae.

Finis Scriptionis.

S. D. G.


### LECTOR BENEVOLE.

Potiora quae irreperunt Errata sequentem in modum corrigi velim. Pag. 4. lin. 4. lege *coronat* pag. 6. l. 13. l. *σκανδαλιθῆτε*. p. 8. l. 14. l. *θεραπεῖτε*. p. 10. l. 9. l. *coelum*. p. 11. l. 6. l. *ἀλλ' αὐθεν*. p. 19. lin. 8. l. *ὄϊος* p. 21. l. 9. l. in Nota lege *differentium*. p. 33. §. 26. l. 5. lege *γινώσκα*. p. 36. l. 1. l. *unctus*. p. 45. l. 12. l. *salutis*. p. 47. lin. 10. l. *ἐνδιαθέτω*. p. 52. l. 24. l. *codem*. p. 53. §. 39. l. 12. l. *coruscans*. p. 55. §. 41. l. 2. l. *quotidie*. p. 61. l. 9. l. *exstructo*. p. 67. not. (h) l. 4. l. *hae*. p. 69. l. 19. l. *quas*. p. 73. l. 2. l. *ἀλαζονείαν*. p. 88. l. 4. l. 4. l. *atque*. p. 104. l. 17. l. *indico*. p. 105. l. 5. l. 5. l. *vineam*. p. 106. §. 13. lin. 1. l. *Coccus sit*. Cetera L. B. pro humanitate sua ipse quaeso emendet.









the scale towards document

59  
is insignis est, quam  
Christiani. §. IV.  
ETRO BERVLLO  
em multitudine Vi-  
Ratio instituti. §. V.  
rii generis praedixit  
atium adversus illas.  
ad coelum levat.  
erant Moysis faciem  
na. §. IX. Mira res  
mines igitur multo  
Caussa precum Chri-  
Psalmi. II. ad Messi-  
ontranitantur non-  
cum GROTIUS &  
I. Generatio Patris  
LIVM. Iudicium  
nitione eius. Notae  
rii RÖELLII. Va-  
pectanda. §. XIII.  
rvator plenariam e-  
totam propriorum  
onem deposuit. §.  
paucis descriptus. §.  
egium. §. XVI. Su-  
em §. XVII. iustitia  
potentia ac duratio-  
is regnum in textu  
a varie capitur. §.  
a vita. Naturalis.  
§. XXIII.